





JAC: MATTHIÆ
RATIO
CONCIONANDI









AD SCRIPTVRAM SACRAM DISCENDAM ET DOCENDAM, INTRODVCTIO:

Quæ constat in Grammatica explicatione phrasium Hebraicarum: In Rhetorica & Dialectica sacræ Scripturæ exemplis illustribus illustrata.

PRAELECTA PVBLICE IN ACADEMIA REGIA HAFNIENSI IN DANIA.

A

Viro Clarißimo & Doctißimo

D. IACOBO MATTHIÆ,
fœlicis memoriæ.

Tomus Secundus.

NVNC
Editus opera & studio
ANDREÆ KRAGII
Ripensis, & Hæredum.

VIRO
GEN
ALIIS



titudo. Id e
exantlati la
perveniret:
Ita una ead
erat, & qui
Talem er
meritus est
memoria,
terpres fidel
litteras, arte
cū propria va
adhuc in patr
concreditū n
dēs multos n
viri Ecclesi
cademia lin
dibus & fe
cto tractav
& argumen
Inter alia
blici juris fa
exemptus pr
De phrasib
litteras recte
tium praecep



VIRO VIRTUTE, DOCTRINA, GENERE, MULTISQUE NOMINIBUS ALIIS NOBILISSIMO, D. ARNOLDO HUITFELDIO, Regni Daniæ Senatori prudentissimo, & Cancellario fidelissimo, Domino suo observando.



VI indefessis diurnis nocturnisq; laboribus mortẽ sibi ipsi accersivit, qvibus tamen multos alios ab interitu prohibuit: eum etiam ab omni oblivione & silẽtio hominum vindicandum hortatur pietas, postulat gratitudo. Id enim nisi confieret, supervacanei viderentur, præduri exantlati labores, à qvibus nihil utilitatis ad ipsum avctorem perveniret: & in homines ingratos beneficia elocata dicerentur. Ita una eademq; sentẽtia, & qvi de repub. literaria optimè meritus erat, & qvi fructus alieno cultos labore decerpunt, cõdemnantur.

Talem eruditionis & diligentiæ opinionem, si qvisqvam alius, meritus est D. JACOBUS MATTHIAE Arhusiensis, fœlicis memoriæ, sacrosanctæ Theologiæ in Regia Academia Hafniensi interpres fidelißimus. Secũdum Dei gloriã & patriæ utilitatẽ sacras litteras, artes et lingvas puriores ut propagaret, nullis pepercit, etiã cũ propriæ valetudinis jactura, lucubrationibus. Docuit juvenis adhuc in patria schola Arhusiensi fœliciter: et talentũ sibi in patria concreditũ magno cum fœnore patriæ reddidit. In Germaniã cõcedẽs multos reliqvit post se discipulos qvi nunc eximiæ eruditionis viri Ecclesiis & scholis plurimũ prosunt. Reversus docuit in hac Academia lingvã Latinam, Græcã, et artes ab omnibus purgatas sordibus & sentinis magna cũ lavde & fructu. Sacras litteras qvo pacto tractaverit, testimonio sunt qvi illum prælegentẽ avdiverunt: & argumento hæc qvæ moriens ingenii sui reliquit monumenta.

Inter alia avtem reperitur præsens hoc scriptum qvod jam publici juris facimus: ut is qvi vivus multis profuit, pluribus vita exemptus prosit.

De phrasibus Hebraicis (qvæ introductio qvædam sunt ad sacras litteras rectè intelligẽdas) Rhetorica & Logica dicimus, qvarũ artium præcepta, excẽplis ex sacra Scriptura tota cõqvisitis, in publicis

prælectionibus illustravit: admonens Theologum istarum artium imperitum in studio Theologico currere quidem, sed extra viam.

Præcepta proposuit brevissimè, nugas & inanes istas in tradēdis præceptis tavtologias de industria negligens. Animadvertit enim nimia præceptorum multitudine obscurari artes & usu privari: multos, non infelicis ingenii, adolescentes in studiis retardari & nimis diu detineri: & plures multò inde prorsus arceri.

Non itaq; est admiratione dignū si nullius avctoris præcepta ad amussim secutus sit: sed ab aliis constituta partim mutaverit, partim prætermiserit. Consilium enim ipsius fuit usum præceptorum in sacris potius litteris ostendere, qvàm omnia præcepta qvæ ibi infrequenter in usu sunt percensere.

In exēplis sacræ Scripturæ recitandis, nec veterem nec vulgarem semper retinuit versionem, sed illam qvæ cum Hebraica veritate potissimùm cōsentit, qvalem hanc judicavit quæ in Bibliis Hebraicis Pagnini à Benedicto Aria expensis extat.

Hoc itaq; ejus scriptum in lucem emissuri hæredes à me elimatum prodire voluerunt: qvòd illis amicitiæ nomine conjunctus essem: & qvòd D. JACOBUS MATTHIAE de meis studiis promovendis semper fuisset sollicitus. Ego initiò modestè detrectabam: sed instantibus illis meam submisi voluntatem.

Opus hoc præsens de phrasibus Hebraicis, Rhetorica & Dialectica legi & relegi. Qvæ irrepserūt errata librariorū & amanuēsiū neglig ētia emēdavi. Rarissimè aliqvid immutavi, qvāvis sæpiùs à cōmuni tradēdarū artiū ratione dissentiat avctor, ne viderer damnato avctoris consilio, meum tanqvam gravius avt doctius substituere.

Tuo avtē nomini, vir Generose, idē inscribēdum duxerunt. Nam is es qvi de hisce studiis decernere optimè potes: et tibi ingeniū, labores & studia avctoris penitus perspecta erant: cū etiā propter eruditionem & judicii gravitatem sæpiùs ad tuū colloqvium sit admissus. Qvare, vir amplissime, patere illum ab omni mortalitate per te conservari, qui multos alios immortali donavit gloria. Vale diu & fœliciter. Hafniæ xv. Avgusti Anno CHRISTI DEI, CIↃ IↃ XIIC.

ANDREAS KRAGIUS
Ripensis suo & Hæredum nomine.

DE PHRASIBVS HEBRAICIS.



PHRASIS Hebraica est, quæ à linguæ Latinæ phrasi & consuetudine discrepat. Eademque Hebraismus, locutio Hebraica, & Hebraicũ dicendi genus seu idioma appellatur. Eius cognitio necessaria est, non solùm ad linguam ipsam Hebræam intelligẽdam, sed etiam ad versionem Bibliorum, quam Iurisconsulti κατὰ πόδα vocant: quæ verbum verbo vertit. Qualis & vetus in multis locis, pręsertim in Psalmis, Prophetis & Nouo testamento: & San. Pagnini versio veteris testamenti tota. Ea enim Hebraismos plerosque retinet.

Ideoq; & Augustinus, iam Episcopus, & ætate prouectus, locutiones Scripturarum seu idiomata linguæ Hebraicæ & Græcæ, ex septem primis Bibliorũ libris, nempe ab initio Geneseos ad finem libri Iudicum, totidem libris colligere & explicare non est grauatus. De quibus ipse lib. 2. ca. 54. Retractationum sic scribit: Septem libros de septẽ libris diuinarũ Scripturarũ: id est, Moisi quinque, & vno Iesu Naue, & altero Iudicum feci: notatis locutionibus singulorum. Quæ minus sunt vsitatæ lingua nostra. Quas parum aduertendo, sensum quærunt, qui legunt, diuinorum Eloquiorum cùm sit locutionis genus. Et nonnunquam exculpunt aliquid, quod à veritate quidem non abhorreat: Non tamen id sensisse autor, à quo hoc scriptum est, inuenitur: Sed genere locutionis hoc dixisse credibilius apparet. Multa autẽ in Scripturis sanctis obscura, cognito locutionis genere, dilucescunt. Hæc Augustinus. Cùm autem sermo & phrasis

phrasis in libris & narrationibus historicis propter rerum seriem, perspicua magis & certa esse soleat: Primùm ex libris historicis phrasicis. Sic ubi haberi potest, obseruanda & cognoscenda est, vt ea lumen afferat phrasi obscuriori: Qualis ferè est in psalmis & prophetis in Veteri testamento: & in Epistolis Apostolicis in Nouo. Atque hoc ipsum etiam Augustinus eodem loco monet. Propter hoc, inquit, cognoscenda sunt eadem genera locutionum, vbi sententiæ patent: vt etiam vbi latent, cognitio ipsa succurrat, easque intentioni legentis aperiat.

PHRASIS Generalis est, quæ pluribus vocibus communis est: & ad vocum seu partium Orationis structuram spectat. Hæc & paucis & methodo tradi potest.

Vt autem Linacer doctissimus Grammaticus Latinus, in libro suo de Emēdata structura Latini sermonis, non solùm figuratam Syntaxin Latinam, sed etiam Hellenismos generales & Syntacticos ad tres ferè species retulit, nempe Ellipsin, Pleonasmum & Enallagen: ita ad easdem etiam Hebraismi generales reuocari optimè possunt. Atque eum ordinem doctis quibusdam placuisse etiam video. Quare eum ordinem nos hîc adhibere, & ad has tres species, Hebraismos omnes reuocare conabimur. Si qui autem erunt Hebraismi, erunt autem non pauci, qui ad plures ex his species, diuersa ratione referri possint: ij etiam pluribus locis repetēdi erunt. Vt enim φαινόμενον ab Astronomis varijs hypothesibus saluari: ita & phrases Orationis, variis modis à Grammaticis explicari possunt & solent.

ELLIPSIS est, cùm verba quædam, ad sensum necessaria, desiderantur. Quæ frequentior & maior sæpè est apud Hebræos quàm Latinos. Ea autem magnam obscurita-

tem parere solet. Quare interpretes eam ferè verba, quę desiderantur, in versione explere solent. Et quidam minusculis literis ea notare vt fecit Pagninus. Et Ellipsis quidem inter tres species rarior est.

PLEONASMVS est cùm verba quædā redundare videntur, quibus dēptis sensus nihilominus integer esset. Sed Pleonasmus apud Hebræos non semper est otiosus. Nam repetitio præsertim earundē vocum fieri solet, aut ad Emphasin, exaggerationem & asseverationem maiorem, aut ad distributionem, aut ad varietatem significandam. Pleonasmus igitur Ellipsi frequentior est.

ENALLAGE est, cùm vel pars pro parte, seu genus aut species vocum pro genere seu specie, vel accidens pro accidente ponitur. Multa autem Latinis immutata videntur, quæ Hebræis iustè & rectè dicta sunt. Atque hæc omnium frequentissima est. Pleonasmus autem & Enallage cùm duriores sunt & obscuriores, emolliri & mutari nonnihil ab interpretibus solent. Sępè etiam trium specierum binæ concurrunt.

Hæ autem tres species fiunt, primùm in vocibus singulis: Deinde in vocibus coniunctis, seu membris orationis integris. Singularum vocum phrases per partes, vt vocant Orationis dicendæ sunt.

DE PHRASIBVS NOMINIS SVBSTANTIVI.

ELLIPSIS.

Substantiuum interdum desideratur.

I. *Ante adiectiuum cum quo conuenit, sed rariùs:* vt, Ipse erat accinctus nouo, 2. Samuel 24. v. 16. subaudi ense.

Tulit

Tulit Sephoua acutum. Exod. 4. v. 25. acutum, subaudi ensem vel cultrum.

Sic enim quidam eum locum interpretantur. Quod Iosuæ 5. v. 2. & 3. integrè sic legitur: Fac tibi gladios seu cultros acutos.

II. Ante relatiuum sæpiùs desideratur.

Cùm ingrederetur Moses tabernaculum, vt loqueretur cum eo, Num. 7. v. 89. cum eo, scilicet Deo.

Non assumam nomina eorum in labijs meis, Psal. 16. v. 4. Eorum scilicet idolorum. Vide Enallagen Relatiui.

III. Deinde post verbũ, à quo regitur, et ex quo intelligitur: vt,

Qui sacrificat laudem, Psal. 50. v. 14. & 23. Vbi deest substantiuum sacrificium in verbo, inclusum, vt sit integrum, Qui sacrificat sacrificium laudis.

Non audiuit verbum Iephtæ, cùm misisset ad eum, Iudic. 11. v. 28. subaudi, Legatos.

Misit Rex & congregauit, 2. Reg. 23. v. 1. Misit scilicet Nuncios. Sed hæc Ellipsis in verbo mittendi, etiam Latinis vsitata est.

PLEONASMVS.

I. Pleonasmus substantiui est primùm in repetitione, cùm idem substantiuum eodem casu repetitur. Quod fit primùm propter Emphasin: vt,

Sicut vnguẽtum quod descendit in barbam, barbam Aaronis, Psal. 133. v. 2. pro circunquaque in barbam.

Quid vocatis me Domine Domine, Luc. 6. v. 46.

II. Ad multitudinem significandam: vt,

Vallis erat putei putei, Genes. 32. vers. 16. pro plena puteis.

Et erunt Rivi Rivi aquarum in die interfectionis multitudinis, Esa. 30. v. 25. pro. Erunt multi riui.

Turbæ,

Turbæ, Turbæ, in valle concisionis, Ioël. 3. v. 19. Pro, multæ turbæ.

III. Ad distributionem significandam: vt,

Dedit in manus seruorum suorũ greges greges, Gen. 32. v. 16. Pro, singulis seruis singulos greges tradidit.

Vir, vir, Leuit. 17. v. 3. Pro, singuli.

Ad portam & portam, 1. Paral. 26. v. 13. Pro, in singulis portis.

Cõstitues iudices in vrbe & vrbe, 2. Paral. 19. v. 5. Pro, in singulis vrbibus.

Seniores vrbis, & vrbis, Esdr. 10. vers. 14. Pro, singularum vrbium.

IIII. Ad diuersitatem & varietatem significandam: vt,

In corde & corde loquuntur, Psal. 12. v. 13. Pro, diversis cordibus seu diuersis cordis affectibus.

Pondus & pondus, seu Mensura & mensura abominabilia sunt Iehovæ, Prouerb. 20. v. 10. Pro, diuersa pondera & diuersæ mensuræ.

Abominabile est Iohouę põdus & pondus. Ibid. v. 23.

Deinde substantiuum repetitur in Regimine: id est, in Genitiuo vel singulari vel plurali.

In singulari repetitur ad Emphasin & Certitudinem.

Die septimo Sabbathum sabbathi est, Exod. 31. v. 15. Pro, omninò cessandum est die septimo.

Et lamentabitur lamentum lamentationis, Michęę. 2. v. 4. Pro, certò & grauiter lamentabitur.

In plurali repetitur ad excellentiam significandam: vt,

Deus Deorum, Psal. 136. v. 2. & Dan. 2. v. 47. Pro, summus Deus.

Dominus Dominorum, Ibid. Pro, summus Dominus.

Rex Regum, Dan. 2. v. 37. Pro, summus Rex.

Vanitas vanitatum, Eccl. 1. v. 2. Pro, Summa vanitas.

Canticū Cāticorum, Cant. 1. v. 1. Pro, excellētissimum canticum.

II. Pleonasmus substantiui est in regimine diuersorum substantiuorum. Qua ratione primum, substantiuum regens interdum redundat.

Os gladii, Deut. 13. v. 15. Pro, gladius.
Filii hominum, Psal. 36. v. 8. Pro, homines.
Nomen Dei, Psal. 20. v. 2. Pro, Deus.

Sic illa esse videntur.

Spiritus Dæmoni. Pro, dæmonum, Luc. 4. v. 33. Et,
Spiritus Dæmonum. Pro, Dæmones, Apoc. 16. v. 14.

Sic vir substantiuum redundare quodamodo videtur: vt in his periphrasibus:

Vir terræ, Genes. 9. v. 20. Pro, agricola.
Vir agri, Gen. 25. v. 27. Pro, agricola.
Vir pugnæ, Num. 31. v. 21. Pro, Miles, bellator.
Vir belli, 1. Sam. 17. v. 33. & 18. v. 5. Pro, miles, bellator.
Vir verborum, Exod. 4. v. 10. Pro, verbosus, facundus.
Vir labiorum, Iob 11. v. 2. Pro, garrulus, loquax.
Vir consilii, Psal. 119. v. 24. Consiliarius.
Vir pacis, Ierem. 20. v. 10. Pro, Amicus, socius.

Interdum substātiuum rectum quod epitheti loco est, redundat: vt in his:

Bestiæ agri, aues cœli, pisces maris, Hoseæ. 3. v. 4. Bestiæ, aues, pisces.

Postremò interdum alterum redundare videtur cùm synonymon à synonymo regitur: vt,

In terra pulveris, Dan. 12. vers. 2. Pro, in terra vel puluere.

E luto cœni, Psalm. 4. v. 3. Pro, è luto, vel è cœno.

Canticum Psalmi, Psalm. 48. ver. 1. Pro, canticum seu Psalmus.

ENAL-

ENALLAGE.

Substantiuum ponitur pro Adiectiuo, pro Verbo, & pro Aduerbio, vel pro pluribus simul vocibus Latinis, seu periphrasi, est.

Pro Adiectiuo frequens est. Quòd pauca Adiectiua Hebræi habeant. Adeò vt substantiua ipsis etiam Adiectiua esse videantur.

I. Cùm duo substantiua eodem casu ponuntur, posterius pro Adiectiuo est. Primum in Nominatiuo, verbo substantiuo expresso vel subintellecto.

Tu pax, & domus tua pax, 1. Sam. 25. v. 5. Id est, Saluus & salua erit.

Sit via eorum tenebræ & lubricitates, Psalm. 35. v. 6. Id est, Tenebrosa & lubrica.

Trabes domorum nostrarum cedri, Cant. 1. vers. 17. Cedri: Id est, Cedrinæ sunt.

II. Cùm substantiuorum alterum est Genitiui: alterum est loco Adiectiui, idque tribus ferè modis.

Primum enim substantiuum regens Adiectiui loco est: vt,

Vniuersitas Ciuitatis in Cœlum ascendebat, Iudic. 20. v. 40. Id est, Vniuersa ciuitas exusta est.

Multitudo populi cecidit, 1. Sam. 1. vers. 4. Id est, multus populus.

Multitudo sapientiæ, Eccles. 1. v. 17. Pro, multa Sapientia.

Grauitas lapidis, & pondus arenæ, scilicet est, Prouer. 7. v. 3. Id est, grauis lapis & ponderosa arena est.

Redundantia gratiæ & Domum iustitię, Rom. 5 v. 17. Pro, Redundans gratia & donata iustitia.

Stultitia prædicationis, 1. Corinth. 1. v. 21. Pro, stulta prædicatio.

Promissio Spiritus, Galat. 3. v. 14. i. promissus spiritus.

Deinde substantiuum rectum seu casus Genitiui singularis & pluralis loco Adiectiui seu Epitheti est, idque multò frequentiùs: vt,

Esto mihi petra fortitudinis & Domus munitionum, Psal. 31. v. 3. Id est, petra fortis & domus munita.

Agnus lactis, Sam. 7. v. 9. Id est, Lactens. Dii montiũ, 1. Reg. 20. vers. 23. Id est, montani.

Vxor & liberi fornicationum, Hoseæ 1. v. 2. Pro, fornicaria & fornicarii.

Corpus mortis, Rom. 7. v. 24. Id est, mortale.

Sanctitas Veritatis ad Ephes. 4. vers. 24. id est, vera.

Filius dilectionis ad Col. 1. v. 13. Id est, filius dilectus.

Priuatim autem id fit, in substantiuis materiæ, loci, & temporis: vt,

Vasa æris, Ios. 6. v. 19. Pro, ænea,

Animal agri, Gen. 2. vers. 19. pro, Agreste seu ferum.

Filius anni sui, Leuit. 23. vers. 12. pro, anniculus.

Interdũ autem hic Genitiuus pluralis est pro superlatiuo: vt,

Botii amaritudinũ sunt iis, Deut. 32. v. 32. i. amarissimi

Tertiò. Interdum dubium videri potest, vtrum pro Adiectiuo sit, regens ne an rectum: vt,

Abominatio desolationis, Daniel. 9. vers. 27. id est, vel abominatio desolans, vel abominabilis desolatio.

Regũ sacerdotũ, Exo. 19. v. 6. Id est, vel regnũ sacerdotale: vel vt Petrus habet 1. Pet. 2. v. 9. regale sacerdotium.

Gloria magnificentiæ, Psal. 145. v. 5. & 11. Id est, vel gloria magnifica, vel magnificentia gloriosa.

Gehenna ignis, Matth. 5. v. 12. Pro, Gehenna ardens, vel ignis Gehennalis.

Diuitiæ Gloriæ, ad Ephes. 1. v. 18. Pro, diues gloria, vel gloriosa opulentia, & Coloss. 1. vers. 27.

Ignis

Ignis flammæ, 2. Theſſ. 1. v. 8. id eſt, vel, ignea flamma: vel, flammeus ignis.

Interdum autem plures Genitiui ſubſtantiuorum ordine coniunguntur, quos variè interpretari licebit: vt,

Solennitatem Meſſis primitiarum operum tuorum, Exod. 23. v. 16. id eſt, ſolennitatem Meſſis, cum primitiæ terra naſcentium offeruntur.

Ad principes virorū belli, Ioſu. 10. v. 24. id eſt, ad principes militum.

Ad capita tribuum filiorū Iſraël, ibid. v. 14. id eſt, principes tribuum Iſraëlitarum.

Ad laudem gloriæ gratiæ ipſius, Eph. 1. v. 6. Pro, ad laudem glorioſæ gratiæ ipſius.

Secundum efficaciam roboris, fortitudinis ipſius, ibidem v. 19. Pro, Efficacitatē fortis roboris ipſius, vel fortiſſimi roboris.

III. Subſtantiuū poſt præpoſitionem pro Adiectiuo eſt.

I. Primum Accuſatiui caſus, poſt in: vt,

In die illo erit germen Iehouę in decorum & gloriam, Eſaiæ 4. v. 2. id eſt, germen inclytum & glorioſum: & fructus ſublimis & glorioſus.

II. Deinde Ablatiui poſt in: vt,

Vox Iehouæ in potētia, Pſal. 29. v. 4. id eſt, vox potens & vehemens.

Propter timorem in noctibus, Cant. 3. v. 5. id eſt, nocturnum.

Et poſt De, vel E, vel Ex: vt,

Aper è ſylua, Pſal. 80. v. 14: id eſt, ſylueſtris.

Subſtantiuum eſt pro Relatiuo: idq́ vel idem, vel cognatum: vt,

Abraham erat Senex, & benedixerat Abrahæ Deus, Gen. 24. v. 1. Pro, Benedixerat ei Deus.

Expulit (ſcilicet Pharao) eos à facie Pharaonis, Exod. 10. v. 11. id eſt, à ſua.

Et accipiet ſacerdos de ſextario olei, & infundet in manum ſacerdotis, Leuit. 14. v. 15. id eſt, ſuam.

Dixit Abner ad Dauidem: Surgã, & ibo vt cõgregem ad Dominum meum regem, vniuerſum Iſraëlem, 1. Samuel. 19. v. 3. Pro, ad te.

Ecce omnes viri Iſraëlis venerunt ad regem, & dixerũt: Cur furati ſunt te fratres viri Iuda, & traduxerunt regem & familiam eius Iordanem, & omnes viri Dauidis cum eo, 2. Samuel. 19. v. 41. Vbi ſunt, regem: pro, te, & Dauidis: pro, tuos. Vnde & pronomina eius & eo ſunt: pro, tua & tecum.

Tunc cõuocauit Solomon ſeniores Iſraël, ad regem Solomon, 1. Reg. 8. v. 1. id eſt, ad ſe venit Roboam, vt reduceret regnũ ad Roboam, 1. Reg. 12. v. 21. id eſt, ad ſe.

Ambulare facit humiles in iudicio, & docebit humiles viam ſuam, Pſal. 25. v. 9. id eſt, eos.

Subſtantiuum igitur pro Adiectiuo his ferè modis eſt.

SVBSTANTIVVM PRO Verbo, ſed rariús.

Subſtantiuum maximè Verbale pro Verbo interdum eſt: vt in his:

Nocte canticum eius mecũ, & oratio Deo vitæ meæ, Pſal. 42. v. 9. Pro, Cantabo eum & orabo.

Meditatio cordis mei intelligentiæ, Pſal. 49. v. 4. Pro, Cor meum meditatur intelligentiam.

Propter iniquitatem non euaſio eius? Pſal. 56. v. 8. id eſt, non euadent ipſi.

Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum, Pſal.

Psal. 118. v. 15. id est, vociferantur & exultant iusti, propter salutem allatam.

Terra vestra desolatio, Esaiç, 1. v. 7, id est, desolabitur.

SVBSTANTIVVM PRO Aduerbio.

Substantiuum post Verbum est pro Aduerbio.

I. In Accusatiuo: vt,

Iudica iusticiam, Prouerb. 31. v. 9. id est, iusté.

Cùm accepero tempus, ego iusticias iudicabo, Psal. 75. id est, iusté.

II. In Ablatiuo, cum præpositione In: vt,

Seruire fecerunt eos in duritia, Exod. 1. v. 13. id est, durè seu duriter.

Habitans in confidentia, Iudic. 18. v. 7. id est, Confidentur seu securé.

Et Hoseæ, 2. v. 18.

Os suum aperit in sapientia, Prouerb. 31. v. 6. id est, Sapienter.

Docet viam Dei in veritate, Matth. 22. v. 16. id est, veraciter.

In veritate dixisti, Marc. 12. v. 31. id est, vere, recté.

SVBSTANTIVVM PRO pluribus vocibus.

Substantiuum Genitiui interdũ pro pluribus vocibus & orationis partibus est: et significat vel caussam efficiẽtẽ, personã aut rem, vel subiectũ vel adiunctũ aliquod.

Personam efficientem denotat. Vt in his:

Alleua de seruitute patris tui dura, & de iugo eius graui, 2. Par. 30. 3. Pro, mitiga seruitutem quam pater tuus Solomõ nobis imposuit: cuius caussa & autor ipse fuit.

Nunc conteram iugum eius & vincula tua dirumpã, Nahum. 1.3. Pro, jugum quod ipse hostis tibi imposuit.

Innoxij erimus à iuramẽto tuo vel tui, quod iurare fecisti nos, Iof. 2.17. vbi interpretatio sequitur hebraismũ.

Sic apud Paulum iusticia Dei est, pro ea quam Deus homini imputat atq; imponit dum peccata remittit, & impium iustificat.

Iusticia enim Dei per illud reuelatur, ex fide in fidẽ, Rom. 1.17.

Nunc verò absq; lege iusticia Dei manifestata est, &c. Rom. 3.2.

Iusticia, inquam, Dei per fidem Iesu Christi, v.22.

Iusticiam Dei ignorantes & suam quærentes statuẽre, Rom. 10.3.

Pro qua phrasi Paulus ipse ad ~~Psal.~~ Philip. 3.9. ait: & modum locutionis interpretatur.

Vt inueniar in eo, nõ habens meam iusticiam, quæ est ex lege: sed eam quæ est per fidem Christi, nempe iusticiam quæ est ex Deo per fidem

Et sic August. de Spiritu & litera c. 9.4.11.9. Chrysostomus & Theophylactus in primum caput ad Ro. cùm Phrasin interpretantur.

Apud Iacobum, iusticia Dei est, pro iusticia quã Deus præscribit & probat. Ita vir iusticiam Dei non operatur, Iacobi 1.20: Opus Dei apud Iehouam est, pro eo, quod Deus flagrat & approbat: hoc est, opus Dei, vt credatis in eum, quem ille misit, Iohan. 6.29.

Rem efficientem denotat: vt,

Comedunt panem impiorum, & vinum iniuriarum bibunt, Pro. 4.17. Pro, per iniquitatem & iniuriam quæsita. Comedere panem dolorum, Psal. 127.2. Pro, doloribus & molestijs partum.

Mammon

Mammon iniquitat, Luc. 16.9: Per iniquitatem partus & retentus.

Instrumentum denotat: vt,

Lapis manus, Num. 35.17. Pro, Qui manu mittitur.

Subiectum seu Obiectum notat: vt,

Hoc gratum est, si quis propter conscientiam Dei suffert molestias immeritò afflictus, 1. Pet. 2. 19. Pro, qui Deum respicit, & propter eum, crucem ab eo impositã ferendam esse statuit.

Nonnulli cum conscientia idoli vsq; ad hoc tempus vt idolis immolatum edunt, 1. Cor. 8. 7. Pro, qua idolum abominãtur & idolis immolata immũda esse putantur: ideoq; ijs sine peccato vesci non posse se putant.

Adiunctum denotat: vt,

Vasa irę & misericordię, Rom. 2. 22. & 10. 23. Pro, quibus Deus irascitur & quorum miseretur.

ENALLAGE NVMERI Substantiuorum.

SINGVLARE PRO PLVRALI.

Substantiuum singulare pro plurali sæpe est, præsertim in nominibus Specierum & Generum: vt in his:

Venit Musca grauissima, Exod. 8. v. 24. Pro, muscæ grauissimæ.

Mittã ante te Crabonẽ, Exo. 12. v. 5. id est, Crabones.

Hoc est animal quod comedere debetis, Leuit. 11. v. 2. Pro, hæc sunt animalia quæ comedere debetis.

Auferet à nobis serpẽtẽ, Num. 21. v. 7. id est, serpẽtes.

Et omnis vir Iuda, 2. Reg. 23. v. 2. id est, omnes viri Iudæ.

Et relinquetur homo paucus, Esaiæ 24. v. 6. Pro, relinquentur homines pauci.

Mulier seruabitur, 1. Timoth. 2.v.14. id est, mulieres seruabuntur.

PLVRALE PRO Singulari.

I. Substantiua pluraliter efferuntur pro vno aliquo ex multis. Vt in his:

Sepultus est in ciuitatibus Giliath, Iudic. 12.v.7. Pro, in quadam ciuitatum.

Sepelierũt eum in sepulchris suis, 2. Paralip. 16.v.14. Pro, sepulchro suo.

Sedens super asinum & pullum filium asinarũ, Sachariæ 9.v.9. Pro, vnius alicuius asinæ.

Profectus est Iesus per segetes sabbathis, Matth. 12.v.1. id est, Sabbatho.

II. Substantiuum dignitatis pluraliter effertur ad ampliorem honorem. Vt in his:

Posuit seruus ille manum suam sub femore Abrahami Dominorum suorum, Gen. 24.v.9. id est, Domini sui.

Donec veniet Domini eius ad domum suam, Gen. 39.v.16. Pro, Dominus eius.

Loquutus est vir Domini terræ nobiscum dura, Gen. 42.v.30. Pro, vir Dominus terræ.

Non trades seruum heris suis, Deut. 23.v.15. Pro, hero suo.

Tradam Aegyptum in manus Dominorum duri, & rex fortis dominabitur ipsis, Esaiæ 14.v.4. Pro Domini duri.

ENALLAGE CASVS.

Enallage casus in substantiuis tribus præcipuè modis fit.

I. Nominatiuus substantiui initio sententiæ quasi absolutè po-

te positus pro casu obliquo relatiui sequentis, & redundantis est.

Suffimentum quod facit, secundum compositionem eius, non faciatis vobis, Exod. 30. 37. Pro, secundum cōpositionem suffimenti, qoud tu facis, non facietis, *&c.*

Vir aut mulier, in cuius capite aut barba exorta fuerit lepra, videbit eos sacerdos, Leuit. 13. 29. Pro, Virum aut mulierem, in cuius capite aut barba fuerit lepra, videbit sacerdos. Dominus in tempestate & turbine via eius, Nahum. 13. Pro, Domine in tempestate & turbine via est: vide Pleonasmum Relatiui.

Iste Moses vir qui eduxit nos ex Aegypto: quid ipsi acciderit, nescimus, Exo. 32. 1. Pro, isti Mosi viro, qui eduxit nos, *&c.* quid acciderit, nescimus.

II. Obliquus contrà pro nominatiuo est, post Verbum: vt,

Vide Exo. 28. 32. Esa. 32. 1. Psal. 69. 23. Sit mensa eorum coram eis laqueus, & ad paces vel in pace, offendiculum, Pro, sit pax eorum & felicitas ipsis offendiculo.

Iacobi, 3. 18. fructus iustitiæ in pace seritur ijs qui pacem faciunt seu colunt. Pro, pax seritur.

1. Pet. 3. 4. Sed occultus ille cordis homo in incorruptione lenis & quieti spiritus: Pro, qui est incorruptus, lenis & quietus spiritus.

III. Cùm genitiuus Synonymi sequentis pro eo casu est, quo ponitur Synonymū antecedens, & quasi redundare videtur. Nam ea etiam huc referri possunt: vt,

Ad similitudinem imaginis, Gen. 1. v. 23. Pro, ad similitudinem & imaginem.

In terra pulueris, Dan. 12. v. 2. Pro, in terra & puluere.

E' luto cœni, Psal. 4. v. 3. Pro, è luto & cœno.

Canticū Psalmi, Psal. 49. v. 1. pro, Cāticū seu Psalmus.

Iugum oneris, Esaiæ 9. v. 4. Pro, iugum & onus.

Ira indignationis, Psal.77.v.44. Pro, ira & indignatio: pro quo versu 49. dicitur indignationem & iram.

Sermo vtilis ad ædificationem vsus, ad Ephes.4.v.29. id est, ad ædificationem & vsum.

PHRASES ADIECTIuorum.

ELLIPSIS.

Adiectiuum ad substantiuum expressum pertinens interdum desideratur: vt,

Quis ille qui vult vitam & diligit dies? Psal. 34.v. 13. Pro, vitam longam & dies multos.

Sicut lana erunt, Esaiæ 1.v.18. vbi desideratur adiectiuum, alba.

PLEONASMVS.

Adiectiua subinde repetũtur ad rei exaggerationem, aliàs bis, aliàs sæpiùs: vt,

Video ficus bonas, bonas: Valde & malas, malas valde, Ieremiæ 24.v.3.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituũ, Esaiæ 6.v.3.

Quæ repetitiones per superlatiuũ Latinè exprimi possunt: vt, optimus, pessimus, sanctissimus.

ENALLAGE.

Ponunt Hebræi Adiectiuum loco Substantiui, in regimine cum Genitiuo casu: quod tamen rariùs in versione exprimitur: vt,

Omnes validi militiæ, Iosuæ 5.v.4. Pro, ad militiam.

Beati integri viæ, Psal. 119. Pro, integri via.

Ordinatus belli, Ioël 2.v.5. Pro, ad bellum.

SECVNDA ENALLAGE.

Adiectiua fœminina vsurpantur pro neutris. Quibus carent Hebræi: Sed id etiam rarò exprimitur.

Eiusmodi hæc esse videntur.

Vnam petii à Domino hanc requiram, Psalm. 27.v.4. Pro, vnum hoc requiram.

A Domino facta est ista, & est mirabilis in oculis nostris. Pro, factum est istud, & est mirabile, Psal. 118.v. 23.

Lingua loquens magnas, Psalm. 12.v.4. Id est, magna.

TERTIA ENALLAGE.

Casus Adiectiui interdum non cum eo substantiuo, cum quo deberet, sed cum proximo conuenit.

Ex. 25.5. Pelles arietum rubro tinctorum. Pro, tinctas.

2. Sam. 2.v.4. arcus fortium fractorum. Pro, fractus.

Actorũ 5.v.20. Loquemini populo omnia verba vitæ huius. Pro, hæc.

PHRASES PRONOMINIS.

PLEONASMVS.

Pronomen separatum interdum cum substantiuo expressum, redundat, quod & ipsum rariùs interpretes exprimunt: vt,

Iehoua exercituum, ipsum sanctificare, Esaiæ 8.v.13. Vbi ipsum redundat.

ENALLAGE.

Pronomen demõstratiuum ferè semper vice verbi substantiui est, quod tamen non semper exprimitur: vt,

Quos nosti, quod ipsi seniores, Num. 11.16. Pro, quod sui seniores.

PHRASES RELATIVI.

PLEONASMVS.

Relatiuum redundat, sed in versione rariùs idq́ue tribus ferè modis.

I. Post Antecedens nominatiui, cum quo raro casu conuenit: vt,

Dominus in tempestate & turbine via eius, Nahum. 1. v. 3. Pro, via Domini in tempestate est, vide suprà Enallagen casus in substantiuis.

II. Post obliquum cum quo ferè casu conuenit: vt,

Omnes suos adversarios sufflat in eos, Psalm. 10. v. 5. Pro, in Omnes aduersarios suos sufflat Masculum & Fœminam fecit eos, Gen. 1. 27. Vbi redundat eos.

Malos malè perdet eos, Matth. 21. v. 4. vbi rursum redundat eos.

Iesum à Nazareth. Quomodo vnxit eum Deus, Acto. 10. v. 38. vbi redundat eum.

Noui hominem in Christo, raptum eum in tertium cœlum, 2. Corinth. 12. v. 2. vbi rursum eum πλεονάζει.

III. Post aliud Relatiuum, qui, quæ quod, vt casus obliqui.

Quem vnxit eum oleo sanctitatis, Num. 35. v. 25. vbi eum redundat.

Beata Gens cuius Dominus Deus eius, Psal. 32. v. 12. vbi redundat eius.

Cuius sagittæ eius acutæ, Esaiæ 5. vers. 28.

Cuius liuore ipsius sanati estis, 1. Pet. 2. v. 24.

Interdum idem relatiuum aut simile repetitum redũdat: vt,

Et gladius eius euaginatus in manum eius, Iosuæ 5. v. 13. Pro, tenens manu gladium suum euaginatum.

Et funda eius in manu eius, 1. Sam. 17. vers. 40. Pro, fundam sua manu gestabat.

Pueris

Pueris ipsis quatuor, ipsis dedit Deus cognitionem. Daniel. 1. vers. 17. vbi posterius relatiuum redundat.

ENALLAGE.

Relatiuum interdum sine Antecedente, quasi pro Antecedente, vsurpatur, vbi loci peristasis aut argumentum ipsum antecedens prodit: vt,

Cùm ingrederetur Moses tabernaculum, vt loqueretur cum eo, Num. 7. v. 89. vbi cum eo, est, pro, cum Deo.

Nec assumam nomina eorum in labiis meis, Psal. 16. v. 4. *eorum*, pro idolorum, vt comedere mel multum non est bonum, sic inuestigatio gloriæ eorum non est gloria. Prouerb. 25. v. 27. eorum, pro cœlestium seu rerum Diuinarum.

Requiescent in cubilibus suis, qui ambularunt coram eo, Esaiæ 57. v. 2. eo, pro Deo.

Vbi vermis eorum non interit, & ignis eorum non extinguitur, Marc. 9. v. 44. *eorum*, pro damnatorum, seu in Gehennam coniectorum.

Tūc ancilla cepit dicere astātibus: Iste est vnus ex ipsis, Marc. 14. v. 69. ipsis, pro Christi Discipulis seu Galilæis.

Atq; hîc Antecedēs interdum longiori interuallo præcedit: vt,

Die octauo Circuncidetur caro præputii eius, Levit. 12. v. 3. Eius pro infantis masculi. Cuius versu secundo fit mentio.

Interdum autem mox subsequitur: vt,

Fundamētum eius in nominibus sanctis diligit Iehoua portas Zion magis quàm omnia habitacula Iacob, Psal. 87. v. 1. & 2. vbi ejus est: pro, Zionis, quod proximo versu sequitur.

Et obiurgauit illud Iesus & exiuit Dæmonium, Matth. 17. v. 18. Pro, obiurgauit Dæmonium & illud exiuit.

Bonum

Donū erat illi si natus non fuisset homo ille, Matt.26. v.24. Pro, bonum erat homini illi si is natus non fuisset.

Durior hic Hebraismus est, in his Pauli verbis.

In quibus Deus huius seculi excæcavit mētes infidelium, 2.Cor.4.v.4. Pro, in quibus infidelibus, *&c.*

DE VERBI PHRASIBVS.

ELLIPSIS.

Verbum interdum ad sententiam complendam pertinens desideratur, idque duobus ferè modis.

I. Quod extra assumēdum est: sæpè enim breuitatis causa vnū verbum pro duobus ponitur, quod consequutio ipsa satis ostendit, quæ tunc non quadrat, nisi commodum verbum subauditur: vt,

Transi Iordanem istum, tu & omnis populus iste, ad terram quam ego do illis, filiis Israël, Iosuæ 1.v.2. Pro, transi Iordanem vt pergas ad terram.

Et conculcet in terram vitam meam, Psal.7.v.6. Pro, prosternat in terram vitam meā, & prostratā conculcet.

A Cornibus vnicornium exaudisti me, Psal. 22.v.22. Pro, liberasti & exaudisti: vel liberabis & exaudies.

Postularūt à nobis verba Cātici, Psal.137.v.3. Pro, Postularunt à nobis vt caneremus verba Cātici seu Cātica.

Rariùs hîc verbum prorsus supprimitur: vt,

Et Iosaphat Rex Iuda, scilicet mortuꝰ est, 2.Reg.8.v.16.

Et hoc modo interdum Infinitiuus desideratur: vt,

Non potero iniquitatem & cœtum, Isaiæ 1. vers. 13. Non potero scilicet ferre.

Verbi autem substantiui defectus hoc modo frequens admodum est: vt,

Grauitas lapidis & pondus arenæ, Prouerb.17.v.3. vbi desideratur verbum est.

In

In omnibus oppressi, scilicet fuimus, 2. Corinth. v. 5.

II. Cùm ex præcedenti aut vicino, verbum repetendū est: vt,

Anima mea ad Dominū, Ps. 130. v. 6. scilicet expectat. Præcessit enim expectaui Iehouam.

Sicut ros Hermon, qui descendit super mōtem Zion, Psal. 133. v. 2. Pro, Sicut ros qui descēdit super Hermon, & qui descendit super montem Zion.

PLEONASMVS.

Verbum idem repetitur ad Emphasin, aut vehementiam, aut certitudinem, aut celeritatem.

Atq; hic alterum ferè verbū infinitiui modi est, quod vel præcedit vel sequitur verbum finitum: & Latinis ferè per Gerūdium in do, aut Participium actiuum præsentis temporis vertitur.

Præcedit idq; plerumq;: vt,

Moriendo morieris, Gen. 2. v. 77.

Videndo vidi afflictionem populi mei, Exod. 3. v. 7. Quod Stephanus in Actis ca. 7. v. 34. exprimit, ἰδὼν εἶδον. Quod vetus vertit, videns, vidi.

Veniendo veniet Rex Babel, Ieremiæ 36. v. 29. Id est, omnino venturus est.

Quia veniens veniet & non tardabit, Abacuch. 2. v. 3.

Excidendo nō excidam te, Ierem. 46. v. 48. Id est, prorsus non excidam.

Sequitur sed rariùs, idq; ferè Imperatiuum: vt,

Vade dic populo huic, audite audiendo & ne intelligatis, & videte videndo, & ne cognoscatis, Esaiæ. 6. v. 9. vel vt vetus vertit, audite audientes.

Interdū et futurū seqtur, præsertim particula intercedēte: vt,

Ego descendam tecum in Aegyptum, & ego ascendere faciam te etiam ascendendo, Genes. 46. v. 4. Id est, Certò te rursum ex Aegypto reducam.

ENALLAGE VERBI Pro ADVERBIO, VEL ADIECTIVO.

Cùm duo verba eiusdem temporis & modi coniunguntur, vel copula intercedente, vel sine copula, Interdum prius pro Aduerbio, vel Adiectiuo est: vt.

Festinauit & dimisit Hydriam, Gen. 24. v. 18. Pro, festinanter dimisit.

Festinauit & effudit hydriam suam in canalem, ibid. v. 20. Pro, festinanter effudit.

Festinavit & venit, 1. Sam. 4. v. 14. Pro, festinanter venit aut festinus.

Festinauerunt obliti sunt, Psal. 106. v. 13. Pro, festinanter obliti sunt.

Et reuersus est Isaac & fodit puteos aquæ, Gen. 26. v. 18. Pro, rursum fodit.

Reuertar pascam, Gen. 30. v. 31. Pro, rursus pascam.

Voluit ambulauit post preceptũ, Hos. 5. v. 11. Pro, Volẽs seu libẽter ambulauit, post præceptũ scilicet Iehouæ.

Et in Imperatiuis duobus sine copula: vt,

Reuertere tolle tibi volumẽ, Ierem. 36. v. 28. Pro, rursum tolle tibi volumen.

Quædam verba Imperatiui, præsertim da & veni, pro Aduerbiis hortandi sunt: vt,

Da laterificemus lateres, Gen. 11. v. 3. Pro, Eia, vel agite faciamus lateres.

Da quæso ingrediar ad te, Genes. 38. v. 16. Pro, age ingrediar.

Da sapiẽtiores simus illo, Exod. 1. v. 10. Pro, Eia, agite.

Veni, potum demus patri nostro, Genes. 19. v. 22. Pro, age potum demus.

Nunc

Nunc ergo veni & mittam te, Exod.3.v.10. Pro, nunc ergo age mittam.

Veni consulam tibi quid facias, Leuit.4.v.14. Pro, age consulam.

Venite & reuertamur ad Iehouam, Hoseæ 6.v.2. Pro, agite, seu agite dum reuertamur.

ENALLAGE GENERIS.

Actiuum sæpè pro neutro aut passiuo est: vt,

Propter risum faciunt panem, Eccles.10.19. Pro, fit panis vel fieri solet, vt sit personale pro impersonali.

ENALLAGE MODI.

I. *Cùm duo verba finita coniunguntur, interdum posterius pro Infinitiuo est:* vt.

Cœpit & plãtauit Noah vineã, Gen.9.v.20. Pro, cœpit plantare.

Incipe, posside, Deut.2.v.31. Pro, incipe possidere.

Vtinam voluissemus & mansissemus trans Iordanem, Iosuæ 7.v.7. Pro, vtinam voluissemus manere.

Velis & benedic, 2.Sam.7.v.29. Pro, velis benedicere.

Si volueritis & audieritis, Esaiæ.1.v.18. Pro, si volueritis audire.

Interdum cùm duo verba iunguntur ferè modi & temporis, Alterum quod indicatiui modi est, pro substantiuo est, idq; vel præcedens vel sequens.

Præcedens: vt,

Et erit, & ego abibo à te, & Spiritus Iehouę asportabit te, 1.Reg.18.v.12. Pro, cùm ego abiero à te.

Atq; hoc interdũ etiam per participium exprimi potest: vt,

Et multiplicati sunt dies & mortua est, Gen.38.v.12. Pro, cùm multiplicati essent dies, seu multiplicatis diebus mortua est.

Et audiuit Rubē & eripuit eū, Gen. 27. v. 21. Pro, Cùm audiuiſſet id Ruben, vel audiens id Ruben eripuit eum.

Et vidit, & ecce populꝰ egrediebatur, Iudi. 9. v. 43. Pro, cùm videret populū egredientem, ſeu videns populū, *&c.*

Audiuerūt malū meū gauiſi ſūt, Threnor. 1. v. 21. Pro, cū audirent malū meū, vel audito malo meo gauiſi ſunt.

Sequens pro Coniunctiuo eſt: vt,

Præcipit Ioſua & depoſuerunt, Ioſuæ 8. v. 29. Pro, præcipit vt deponerent.

Præcipit Moſes & tranſire fecerunt vocem, Exod. 36. v. 6. Pro, præcepit vt proclamarent.

Tunc præcipiet Sacerdos, vt tollet ei qui mundatur, duos paſſeres, Leuit. 14. v. 4. Pro, præcipiet vt tollat.

Poteſt tamen in his & ſimilibus Ellipſis eſſe: vt,

Præcipit Ioſua vt deponerent, & depoſuerunt, *&c.*

IMPERATIVI PRO INDICATIVO:

AC PRIMVM PRO PRAESENTI.

Sed rariùs: vt,

Videte quod malum eſt coram facie veſtra, Exod. 10. v. 10. Pro, Videtis.

Secundo pro futuro, idq́ʒ ſæpiùs: vt,

Orabit pro te & viue, Gen. 20. v. 7. Pro, viues.

Hoc facite & viuite, Gen. 42. v. 18. Pro, & viuetis.

Declina à malo & fac bonum, & inhabita in ſeculum ſeculi, Pſal. 37. v. 27. Pro, inhabitabis in ſeculum ſeculi.

Ingredere in petram & abſconde te in puluere, Eſa. 2. v. 10. Pro, ingredieris & abſcondes.

Tolle molas & mole farinam, Eſa. 47. v. 2. Pro tolles & moles.

Longè eſto ab oppreſſione, Eſa. 54. v. 4. Pro, aberis.

Seruite ei atq; populo eius & viuito, Ierem. 27. v. 17. Pro viuetis.

Seminate vobis in iustitia, metite in misericordia, Hoseæ 10.v.12. Pro, metetis

IMPERATIVI PRO FVturo Subiunctiui: *vt.*

Pone in petra nidum tuum, tamen eris in depastionẽ, Num. 24.v.21. Pro, si posueris.

Irascimini & nolite peccare, Psal. 4.v.5. pro, si irati fueritis.

Tange montes & fumigabunt, Psal. 144.5. pro, si tetigeris vel cùm tangis, Pro quo Psal. 104.32. dicitur: Tangit montes & fumant.

Ecclesiast. 30.9. Lacta filiũ tuum & metũ tibi afferet. Lude cũ eo & contristabit te, pro, si tactaueris, si luseris.

Deuorabit te tanquam bruchus, multiplica te vt bruchus, multiplica te ut locusta.

Nahum 3.v.15. Pro, Etiamsi multiplicaueris te ut bruchus, *&c.*

Destruite templum hoc, & post triduum ædificabo illud, Iohan. 2.v.19. Pro, Cùm vel si destruxeritis.

ENALLAGE INFInitiui.

Infinitiuus Hebræis pro omnibus ferè modis & tẽporibus accipitur. Sed hæc Enallage haud temerè Latinè exprimitur.

ENALLAGE TEMporum.

Præteritum primùm pro præsenti est: vt.

Annunciaui hodie Deo tuo, quod ingressus sum terram, Deut. 26.v.3. Pro, annuncio hodie.

Dixit insipiens in corde suo, non est Deus, Psal. 14.v.1. Pro, dicit seu cogitat.

Mi Deus in te confisus sum, Psal. 35.v.2. Pro, confido.

In te Domine ſperaui, non confundar in æternum, Pſal.31.v.2.Pro,ſpero.

In Cathedra Moſi ſedebant Scribæ & Phariſęi, Matth. 23.v.2.Pro,ſedent.

Hic eſt Filius meus dilectus in quo complacui, Matth. 3.v.13.Pro,complaceo ſeu acquieſco.

Magnificauit anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus, *&c.* Luc.1.v.46. pro exultat: & ſic deinceps per totum ferè Canticum.

Interdum pro præterito pluſquamperfecto eſt, quod non habent Hebræi, ſicut nec imperfectum: vt,

Renunciauit Iacob ipſi Rachel, quòd frater patris ſui eſſet, Gen.29.v.12.Pro,iam antè renunciauerat.

Dixit præterea Iehoua, Exod.33.v.5.pro, iam antè dixerat.

Pugnauerunt filiæ Iudę contra Ieruſalem, Iudic.1.v.8. Pro, iam antè pugnauerant.

Et præteritum, præſertim in promiſſionibus & cõminationibus propheticis, ſæpiſſimè pro futuro eſt, idq; ad rei futuræ certitudinem, quaſi ea iam facta eſſet: vt,

Mortuus es propter mulierem, Gen.20.3.Pro,morieris, niſi eam dimiſeris.

Puer natus eſt nobis & Filius datus eſt nobis, Eſaiæ 9. v.6.pro naſcetur, & dabitur.

Venit lux tua, & gloria Domini ſuper te orta eſt, Eſaiæ 6.v.1.Pro,Veniet & orietur.

Cecidit, cecidit Babylon, Eſaiæ 21.verſ.9.& Apocal. 14.v.8.& 18.v.2.Pro,cadet,cadet.

DE FVTVRI ENALLAGE.

Futuri Enallage triplex ferè eſt, vbi ſimul etiam modi Enallage fit.

I. Futurum pro præterito eſt.

Custo-

Custodietis sacerdotium vestrum & ministrationem doni ponam sacerdotium vestrũ, Num. 18.7. Pro, posui.

Veni, quæso, in alium locum, vnde videas illum. Nam tantùm extremum eius videbis, & totum ipsum non videbis, Num. 23.13. Pro, vidisti & non vidisti.

Ascendit autẽ Angelus Iehouę de Gilgal ad Bochum, & dixit: Educam vos ex Aegypto, Iud. 21. Pro, eduxi: sequitur enim & introduxi in terram.

Cùm eligit Deus nouos, Iud. 58. Pro, eligit, sequitur: Tunc fuit prælium in portis.

Calcabis anima mea fortiter, Iud. 5.21. Pro, calcauit scilicet hostes cæsos.

I. Fuit enim in omni loco, quo perrexisti, &c.

Et faciam tibi nomen, 2. Sam. 2.9. Pro, feci.

Et populum, qui erat in urbe eduxit, *&c.* & sic faciet omnibus urbibus Ammon. 2. Sam. 12.31. Pro, sic fecit.

Secundò futurum indicatiui sæpissimè pro imperatiuo est, idq́ maximè in præceptis, vt in Decalogo apparet, vbi verba ferè omnia singulorũ præceptorũ futuri sunt temporis.

Lętentur omnes qui sperãt in te, in seculum iubilent, & operies eos, Psal. 5.12. Pro operi eos.

Tertiò, pro modo obsecrãdi & petendi, vt liceat aliquid: vt,

Transibo terram tuam, Num. 20.v.7. Pro, liceat mihi quæso transire. Ibo nunc in agrum & spicas colligam, Ruth 2.v.2.& 7. Pro, liceat mihi per te ire in agrum.

Transibo quæso, ut auferam caput eius, 2. Sam. 16.9. Pro, permitte ut transeam.

Ibo nunc & percutiam Ismaëlem, *&c.* & nemo sciet, Ieremiæ 40.v.15. Pro, liceat mihi ire & percutere.

Tertiò, pro modo potentiali est: vt,

Ponam semẽ tuũ ut puluerẽ terræ, quia si quis poterit numerare puluerẽ terrę, etiã semen tuum numerabitur.

Gen.

Gen. 13. v. 16. Numerabitur. Pro, numerari poterit. Vbi præcedit modum interpretum.

Multiplicabo semen tuũ, & nõ numerabitur præ multitudine, Gen. 16. v. 10. Pro, non poterit numerari.

Seruus nunc est in medio populi tui, qui nec supputabitur, nec numerabitur præ multitudine, 1. Reg. 3. v. 8. Pro, qui nec supputari nec numerari poterit.

Nónne meliores sunt Amaria & Parpar fluuij? Annõn lauabo me in illis & mundus ero? 2. Reg. 5. 12. Pro, lauare me & mundus fieri potero?

Erit numerus filiorũ Israël, sicut arena maris, quæ nec mensurabitur nec numerabitur, Hos. 1. 10. quæ nec mẽsurari nec numerari poterit. Atq; hactenus Enallage temporis fuit.

ENALLAGE PERSONARVM.

Frequentissima est in Oratione Prophetica personarum Enallage.

Cùm autẽ hæc Enallage etiam ad Nomina & Pronomina se extẽdat, hoc loco simul de ijs dicetur: Cùm hac autem etiam substantiui pro relatiuo positi Enallage interdum coniungitur.

Secunda persona pro prima est: vt,

Quid proderit tibi? quid accipiam utilitatis pro expiatione mea, Iob 35. v. 2. Tibi, pro, mihi.

Secunda pro tertia. Edent pauperes & saturabũtur, *&c.*

Viuet cor vestrum in seculum, Psal. 22. v. 27. Cor uestrum, Pro, cor eorum.

Non audiet verba mea & non audiuistis, Ieremiæ 29. v. 19. Pro, non audiuerunt.

Secunda singularis pro tertia plurali est: vt,

Enarres in auribus filij, & filij filij tui, Exod. 10. 2. Pro, enar-

enarrent filij Iſraël & filij nepotibus ſuis.

Tertia pro prima eſt: idq́ frequenter in ſubſtantiuorũ Enallage: vt,

Erit filius Iſraël ad memoriam coram Iehoua, Exod. 30.v.16. Coram Iehoua, pro, coram me.

Vt doceatis ſtatuta quę locutus eſt Iehoua ad eos, Leuit. 10.v.11. Pro, quæ locutus ſum ego.

Magnificans ſalutes Regis ſui, Pſal. 18.v.51. Pro, qui magnam ſalutem affert mihi Regi ſuo.

Os meum ipſum præcepit, & ſpiritus eius congregabit ea, Eſaiæ 34.v.17. Pro, ſpiritus meus.

Et interficiam ipſi Iehouæ deſideriũ eorum, Micheæ, 4.v.13. Pro, mihi.

Tertia eſt pro ſecunda: vt,

Afferetq; Myrrham & offeret illam ſacerdoti, Leuit. 2.v.9. Pro, afferes & offeres.

Quemadmodum præcepit Iehoua Moſi, Num. 27.v. 11. Pro, præcepi ego tibi.

Paululum viſitabit te ira eius, neq; nouit multum admodum, Iob 35.v.15. Pro, noſti.

Dentes eorum confregiſti, Iehouæ eſt ſalus & ſuper populum tuum benedictio tua, Pſal. 3.v.9.

Tu illumines lucernam meam, Deus meus illuminat tenebras meas, Pſal. 18.v. 29. Pro, tu illuminas tenebras, *&c.*

Et vincula tua dirumpam, & non redigent illum in ſeruitutem vltra, Ieremiæ 30.v.8. Pro, te.

Quis Deus ſimilis tui? *&c.* non retinet in æternũ iram ſuam, Micheæ 7.v.18. Pro, tu non retines.

Lapis quem dedi coram Ioſua, Sachariæ 3.v.9. Pro, coram te.

Beata quæ credidit, nã perficientur ea quæ dicta ſunt

ei à Domino, Luc. 1. v. 45. Pro, quæ credidisti, & tibi.

Dixit autem ei Iesus: Hodie salus domui huic cõtigit: eò quòd ipse quoq; filius Abrahæ est, Luc. 19. v. 9. Pro, tu ô Sachee filius Abrahæ es.

Erit semen eius inquilinum in terra aliena, Act. 7. v. 6. Pro, semen tuum ô Abraham.

Vt consolationem accipiant eorum corda, ad Colos. 2. v. 2. Pro, corda vestra. Quamuis & hoc rectũ esse possit. Atq; hactenus de verbo eiusq; Phrasibus.

DE PHRASIBVS PARTIcipiorum.

ENALLAGE.

I. *Participia nõnunquam pro nominibus vsurpantur, sicut & apud Latinos:* vt,

Odio habens omnes operantes iniquitatem, Psal. 5. v. 6. Pro, operarios iniquitatis.

Ad videndum num esset intelligens, Psal. 14. v. 2. Pro, studiosus auditor doctrinæ cœlestis.

Argentum electum lingua iusti, Prouerb. 10. v. 20. id est, eximium seu præstans argentum.

Petrus erat condemnatus, ad Gal. 2. Pro, condemnabilis, seu reprehensione dignus.

II. *Enallage Participij pro Verbo frequens est, & cum hac temporis præsentis pro præterito aut futuro Enallage sæpissimè cõiungitur: quare vtraq; simul dicẽda est. Cùm enim Verbo præsentis temporis careant Hebræi, pro eo ferè, Participio, quòd præsens tẽpus continet, vtuntur: sed interpretes id interdũ per Verbũ, interdum per Participiũ reddunt.*

Præsens igitur primò pro præterito est: vt,

Qui ascendere facio vos ex terra Aegypti, Leuit. 11. v. 45. Pro, feci ascendere.

Oculi

Oculi vestri videntes sunt, quæ fecit Iehoua, Deut. 4. v. 3. Pro, viderunt.

Vos aũt adhęrẽtes Iehouę, Deut. 4. v. 3. Pro, adhęsistis.

Præsens pro futuro est: vt,

Ecce ego adduco diluuium aquarũ, Gen. 6. v. 14. Pro, adducturus sum.

Ecce ego percutio, Exod. 8. v. 2. Pro, percutiam ego pluo, Exod. 16. v. 3. Pro, pluam.

Venio ad te, Exod. 19. v. 9. Pro, venturus sum.

Ecce ego mitto angelum coram te, Exod. 23. v. 20. Pro mittam.

Discedo ad populũ meũ, Num. 24. v. 14. Pro, discedã.

Ad terram, quam ego do illis, Iosuæ 1. v. 2. Pro, quam daturus sum.

Abeo per viam vniuersæ terræ, 1. Reg. 2. v. 21. Pro, breui abiturus sum.

Adduco super te malum, 1. Reg. 21. v. 21. Pro, adducã.

Et cùm participium participio redditur: vt,

Ego non dans, Exod. 5. v. 10. Pro, non daturus sum: & vos transeuntes per terminum, Deut. 2. v. 4. Pro, transituri estis.

Sed filius egrediẽs de lumbis tuis, 1. Reg. 8. v. 19. Pro, qui egressurus est. Atque hæc pro ratione temporis, de participijs sufficiant.

DE PHRASIBVS ADuerbiorum.

ELLIPSIS PRIMA.

Aduerbium similitudinis sæpissimè desideratur: vt,

Vos ipsi vidistis quomodo portauerim vos super alas aquilarum, Exod. 19. v. 4. Pro, quasi super alas.

Dentes eius dentes Leonis, Ioël. 1.v.6. Pro, quasi dentes Leonis sunt.

In plenis autem similitudinibus interdum accommodationis tantùm particula desideratur: vt,

Fiat voluntas tua sicut in cœlo, etiam in terra, Matth. 6.v.10. sic etiam fiat in terra.

Interdum vtraque particula & προτάσεως & ἀποδόσεως, desideratur: vt,

Spina ascendit in manu Ebrij: Parabola in ore stultorum est, Prouerb. 26.v.9. Pro, sicut spina ascendit in manu ebrij, sic parabola in ore stulti.

Perdix colligit quæ non peperit, qui facit diuitias & non in iudicio, Ieremiæ 1.v.11. Pro, sicut perdix colligit oua quæ non peperit, sic qui facit divit. *&c.*

Solium gloriæ altitudinis ab initio, locus sanctificationis nostræ, Ieremiæ 17.v.12. Pro, sicut solium seu cœlum æternum est: sic locus sanctificationis nostrę: id est, templum nostrum perpetuum erit.

SECVNDA ELLIPSIS.

In membris antithesis post negationem sæpè desiderātur particulæ relatiuæ, vel solum & etiam, vel tam & quam. Vnde negatio sæpè non tàm remouet quàm corrigit, vt ait Erasmus in Com. Mar. 9.

Et ex oratione simplici sæpè fit comparatiua: vt,

Non ampliùs vocaberis Iacob, sed Israël, Gen. 32.28. Non vocaberis scilicet solum.

Non te sperauerunt, sed me, ne regnem super eos, 1. Sam. 87. Non te, scilicet solum.

In vijs earum non ambulasti, sed corrupta præ illis in omnibus viis tuis, Ezechiel. 16.v.47. Pro, non solùm ambulasti, *&c.*

Qui me excipit,non me excipit,ſed eum qui me miſit, Marc.9.v.37.Id eſt,vel non ſolùm me,ſed etiam eum:nō tàm me quàm eum qui miſit me,*&c.*

Cùm facis conuiuium ne vocato Amicos aut cognatos,ſed pauperes & ægrotos,Luc.14.v.12.Pro,non tàm Amicos quàm pauperes:vel,non ſolū amicos,ſed etiam pauperes.

Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me,Patris,Iohan.5.v.30.Pro, non tàm meam quàm Patris.

Deſcendi è cœlo ut faciam non voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me,Iohan.6.v.38.

Qui credit in me,non credit in me,ſed in eum qui miſit me,Iohan.12.v.44.Pro,non tàm credit in me, quàm in eum,*&c.*vel,non ſolùm in me credit,ſed etiam,*&c.*

Mea doctrina nō eſt mea,ſed eius,qui miſit me,Iohan. 7.v.16.

Non eſt igitur volentis neq; currentis, ſed miſerentis Dei,Rom.9.16.Sic enim Nazianzenus hunc etiam locū interpretatur.

TERTIA ELLIPSIS.

Particulæ interrogatiuæ,exhortatiuæ, & negatiuæ in primo ſententiæ membro poſitæ,in reliquis interdum deſiderantur,& ex primo repetendæ ſunt: vt,

Quare fremuerunt gentes? & populi meditantur inania,Pſal.2.v.1.Pro,& quare populi me,*&c.*

Domine quàm multiplicati ſunt hoſtes mei,multi inſurgunt aduerſum me,multi dicunt Animæ meæ,Pſal.3. v.1.Pro,quàm multi inſurgūt & quàm multi dicunt, *&c.*

Vſquequo gloriam meam vertetis in ignominiam? diligetis vanitatem?quæretis mendacium? Pſal.4.v.Pro, vſquequò quæritis,& vſquequò diligetis?

Negatiuæ. vt, non iurabis in nomine meo mendaciter, & polluens nomen Dei tui, Leuit. 19. v. 12. Pro, & non pollues, *&c.*

Nō in seculum obliuioni erit pauper: expectatio pauperum peribit in seculum, Psal. 9. v. 19. Pro, non peribit.

Comedere mel multum nō est bonum, sic inuestigatio gloriæ eorum, gloria, Prouerb. 25. vers. 7. Pro, non est gloria.

Non enim sepulcrum Cōfitebitur tibi, mors laudabit te, Esa. 38. v. 18. Pro, mors non laudabit te.

Quę non relinquet eis radicem & ramum, Malac. 4. v. 1. Pro, & non ramum.

PLEONASMVS.

I. Geminationes in aduerbijs, vel emphasin seu asseuerationem vel distributionem significant.

Emphasim: vt, Amen Amen dico vobis, Ioan. 1. v. 51. Pro, Certissimè dico seu affirmo.

Distributionem: vt, seruet lingua sacerdos manè manè, Leuit. 6. v. 12. Pro, quolibet tempore matutino.

II. Similitudinis particula interdū pleonasticῶς vsurpatur vel etiam vim asserendi habet: vt,

In tabulis erat, sicut omnia verba quę dixerat Iehoua, Deut. 9. v. 10. Pro, Erant omnia verba.

Non dixisset nobis secundum hæc, Iudic. 13. vers. 23 Pro, hæc.

Erat sudor eius quasi guttæ sanguinis, Luc. 24. v. 44. Pro, Erat reuera guttæ sanguinis.

Vidimus gloriā eius quasi vnigeniti à Patre, Iohan. 1. v. 14. Pro, reipsa vnigeniti.

Quia nō ex fide, sed tāquam ex operibus Legis, Rom. 9. v. 32. Id est, sed ex operibus.

Transfor-

Transformamur in eandem imaginẽ, tanquam à Domini ſpiritu, 2. Corinth. 3.v.18.Pro., transformamur ab ipſo Domini Spiritu.

III. *Adverbium ibi, quod eſt quaſi loci relatiuum interdũ redundat:* vt ad locum in quo habitabo ibi. Exod. 43.v.7.Pro, in quo habitabo.

Sunt domus coquentiũ in quibus coquent ibi. Ezec. 46.v.24.Pro, in quibus coquent.

ENALLAGE.

Aduerbium nomini ſubſtantiuo ſubiectum interdum eſt pro nomine adiectiuo: vt,

Holocauſtum ſemper, Num.28.v.6.Pro, iuge ſeu perpetuum.

Maledictio gratis, Prouer.26.v.2. Pro, quæ immeritò infligitur.

PHRASES PRÆPOSITIONVM.

ELLIPSIS.

Præpoſitio ante nomina materiæ interdum deſideratur: vt,

Fecit Candelabrum auro E,xod.27.v.17.Pro, ex auro.

PLEONASMVS.

Hebræi addunt nominibus ſubſtantiuis Cauſæ, inſtrumenti, modi & precij præpoſitionem In, *quæ cõſuetudine Latina redũdare videtur, & interdum omittitur, interdum per alias præpoſitiones aut aliter redditur.*

Cauſæ: vt, in Deo faciemus virtutem, Pſal.6.v.14. Pro, Deo Autore, eoque favente & protegente nos.

In te contriui exercitum, & in Deo meo trãſiliam murum, Pſal.17.v.30. Pro tua opera adiutus.

Fatigatus in gemitu meo, Pſal. 6.v.7. Pro, gemitu, ſeu ob gemitum.

Vt Anima eorũ in malo liquefiat, Psal. 107.v.26.Pro, malo vel ob malum.

Ne pereatis in omnibus peccatis eorum, Num. 16.v. 26.Pro, propter peccata eorum.

*Instrumenti:*vt, Occidit eos in ore gladii, Exo.17.v.13. Pro, ore seu acre gladii, seu gladio.

Qui percusserit aliquem in lapide seu pugno, Exod. 21.v.18.Pro, lapide aut pugno.

Reges eos in sceptro ferreo, Psal.2.v.9.Pro, sceptro ferreo.

Sacerdotes eorum cadebant in gladio, Psal.78.v.64. Pro, gladio.

Fecit potentiam in brachio suo, Luc. 1.vers. 51. Pro, brachio suo.

Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Matth. 5.v.13. Pro, quo, seu qua re salietur.

*Precii:*vt, Quam emit Iacob in centũ agnis seu numis, Iosuæ 24.v.32. Pro, centum agnis.

Aquam nostrã in pecunia bibimus, Thren. 5.v.4. Pro, pecunia redempta seu per comparatam bibimus.

*Modi:*vt, Coletis eũ in integritate & veritate, Iof. 24. v.14.Pro, cum integritate & veritate.

Inclinabo me ad templum sanctum tuum in timore tui, Psal. 5.v.8.Pro, cum timore tui.

*Secundo ב pro ל Hebraico ante accusatiuum nominis substantiui aliter etiam redundat:*vt,

Eris in patrem gentium, Genes.17.v.4. Pro, eris Pater multarum gentium.

Habitamus vobiscum & erimus in populum vnum, Genes.34.v.16.Pro, erimus populus vnus.

Ego ero ei in Patrem, & ipse erit in Filiũ, 2.Sam.7.v.14. Pro, ero ei Pater, & ipse erit mihi Filius.

Tertius

Tertius. Propositio eadem in Exegesi præsertim, sæpè pleonasticῶς iteratur: vt,

Vim fecerunt in virum in Loth, Gen. 19.v.9. Pro, in virum Lothum.

Non erit heres filius ancillæ cum filio meo cũ Isaach, Gen. 21.v.10. Pro, cum filio meo Isaach.

Erue me de manu fratris mei, de manu Esau, Gen. 32. v.11. Pro, de manu fratris mei Esau.

Vbi etiam manus repetitum redundat vt vngerem te regem super populum suum super Israëlem, 1. Sam. 15. v.1. Pro, super populum suum Israëlem.

Qui fecistis misericordiam cum domino vestro, *&c.* Saule, 2. Sam. 2. v. 5. Pro, cum domino vestro Saule.

ENALLAGE.

I. Præpositio In *& accusatiuus substantiui sæpè pro adiectiuo est.*

Erit germen Iehouæ in magnificentiam & gloriam, Esaiæ 4. v. 2. Pro, erit magnificum & gloriosum. Vide suprà substantiui Enallage.

II. In *cum accusatiuo, pro adiectiuo commodo est:* vt, omnis locus erit in veprem & in spinam, Esa. 7. v. 23. Pro, plenus seu obsitus vepribus & spinis.

III. Interdum pro quasi *est, aut alio aduerbio similitudinis aut etiam adiectiuo similis:* vt,

Erit fortis eius in stupam, & Autor eius in scintillam, & comburẽtur ambo simul, Esa. 1. v. 31. Pro, quasi stupa, vel similis stupæ, seu scintillæ.

IIII. Præpositio In, *& ablatiuus substantiui sæpè est pro aduerbio:* vt,

Ille indicat orbem in iustitia, & iudicat populum in rectitudine, Psa. 9. v. 9. Pro, iustè & rectè. Vide suprà Enal-

lage ſubſtantiui pro abuerbio. Et in pleonaſmo *In* cum ſubſtantiuis modi.

V. Ad *pro* In, *& contra eſt*, Ad *pro* In, *ſeu* εἰς *pro* ἐν, *ſeu lamed vel el vel al pro Bath*: vt,

Gen.49.29. Sepelire me ad ſpeluncã, quæ eſt in agro Ephron Sittari, Pro, In ſpelunca.

Matth.23. Habitauit ad vrbem quæ dicitur Nazareth. Pro, in vrbe.

Marc.1.9. Baptizatus eſt à Iohanne ad Iordanem. Pro, in Iordane.

Et 2.1. Auditum eſt, quòd ad domum eſſet. Pro, in domo ſeu domi.

Luc.8.48. Vade ad pacem. Pro, in pace. In pro ad.

Matth. 16.28. Dum viderint Filium hominis venientem in regno ſuo. Pro, ad regnum ſuum, vel in regnum.

Luc.1.17. Vt conuertat corda patrum ad filios, & rebelles in prudentia iuſtorum. Pro, ad prudentiam.

Epheſ.4.24. Qui ſecundum Deum conditus eſt in iuſtitia & ſanctimonia vera. Pro, ad iuſtitiam, *&c.*

VI. Ante *ſeu* coram *interdum pro* contra *eſt*.

Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt cõſilium coram Domino. Prouerb.21.v.30. Pro, cõtra Dominũ. Atque hactenus phraſes Præpoſitionum.

CONIVNCTIONVM PHRASES.

Ἔλλειψις.

Coniunctio etiam ſæpè omittitur.

I. Copulatiua: vt, ſicut ros Hermon qui deſcẽdit in mõtem Sion, Pſal.133.v.3. Pro & qui deſcendit, *&c.*

II. Diſiunctiua: vt, duo, tria grana in ſummitate rami, quatuor, quinque in cacuminibus, Eſa 17.v.6. Pro, duo vel tria, quatuor aut quinque.

III. Aduerſatiua, Sed *vel* at: vt,

Nouit

Nouit bos possessorē suum, Israël nō cognouit, Esa. 1. v. 2. Pro, sed Israël.

IIII. Aduersatiua tamen: vt, paruus sum ego & cōtemptus, testimoniorum tuorum nō sum oblitus, Psal. 119. litera ע Pro, Tamen testimonium tuorum, *&c.*

PLEONASMVS.

I. Geminatio coniunctionum interdū fit ad vehementiā: vt, Propterea propterea quod errare fecerunt populum, Ezech. 13. v. 9. Pro, propterea.

II. Copulatiua Et *specialiter interdum redundat:* vt, Nisi reduxero & peccabo tibi, Genes. 47. v. 9. Pro, Nisi reduxero peccabo seu obnoxius tibi ero.

Respondit Moses & dixit: & Ecce non credent, Exod. 4. v. 1. Pro, non credent.

Videntes quod rem fœdam fecissent Dauidi & miserunt, 2. Sam. 10. v. 6. Pro, miserunt.

III. Quòd vel quoniam interdum, præsertim post verbum dicendi vel loquendi redundat: vt,

Tu dixisti domine mi Rex, quod Solomon filius tuus regnabit post me, 1. Reg. 1. vers. 13. Pro, dixisti Solomon regnabit.

Venit ad eum leprosus dicēs: Quòd si velis potes me mundare, Marc. 1. v. 40. Pro, si velis potes.

Et dixit, Quoniā nō sum Christus, Iohan. 1. v. 20. Pro, non sum Christus.

ENALLAGE.

Coniunctio Et *interdum pro Relatiuo est:* vt, cœpi loqui, & ego puluis & cinis sum, Gen. 18. v. 27. Pro, q̄ puluis sum.

Et concubina eius, & nomen eius erat, *&c.* Gen. 22. v. 24. Pro, cuius nomen erat.

Nō faciet pater meus rem vllam, & nō indicabit mihi, 1. Sam. 20. v. 2. Pro, quam.

Sicut luna, stabilietur thronus eius & testis in cœlo fidelis, Psal. 28. v. 38. Pro, quæ testis est.

Deus est Iehoua & illuxit nobis, Psal. 118. v. 27. Pro, qui illuxit.

Ecce dies venient, & auferetur quicquid est in domo tua, Esa. 39. v. 6. Pro, quibus auferetur.

Ecce arbor in medio terræ: & altitudo eius magna, Dan. 4. v. 7. Pro, cuius altitudo, *&c.*

II. Coniunctio Si *in iuramētis præsertim Dei, interdum, pro non est:* vt,

Nunc ergo iura mihi per Deum, si mentieris mihi & filio meo, *&c.* Gen. 21. v. 23. Pro, quod non mentiaris.

Sit iuramētum inter nos, si facias nobis malū, Gen. 6. vers. 26. Pro, quòd non facias.

Iurauit Iehoua, si videbunt terrā Promissam, Num. 24. v. 23. Et Deut. 1. v. 34. Pro, non videbunt.

Iuraui in furore meo, si intrabunt in requiem meam, Psal. 25. v. 11, Pro, non intrabunt.

Interdū Si *magis confirmat quàm dubitat.* Prisc. pag. 652.

Aeneid. 2. dii, si qua est cœlo pietas, *&c.*

III. Particula causalis Quia, *interdum pro rationali seu cōclusiua ideo aut igitur vsurpatur:* vt,

Non audiuerunt vocem patris sui, quia voluit eos Iehoua occidere, 1. Reg. 2. v. 25. Pro, ideoque.

Credidi quia locutus sum, Psal. 116. vers. 10. Pro, ideo loquutus.

Remissa sunt ei peccata multa, quoniā dilexit multū, Luc. 7. v. 47. Pro, ideoque dilexit.

IIII. Coniunctio, Vt *pro multis aduerbijs et plerisq; alijs coniunctionibus apud Hebræos vsurpatur, cuius rei exempla ex libro Phrasiū Hebraicarū Roberti Stephani repetātur.*

DE.

DE VOCVM CONIVNCTARVM SEV MEMBRI ORATIONIS Phraſi aut Syntaxi.

HActenus vocum ſingularum ſeu partiũ orationis Phraſis & Syntaxis fuit: Nunc de pluriũ vocum ſeu membri ſeu ſententiæ Phraſibus dicendum eſt.

ELLIPSIS MEMBRBI SEV ſententiæ.

In oratione interdum plura verba aut membrum integrum deſideratur. Quod ἀναπόδοτον *vel* ἀνανταπόδοτον *à grammaticis dicitur*: vt,

Ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat de arbore vitæ, *&c.* Gen. 3. v. 23. ſubaudi, eijciemus eum ex paradiſo.

Verùm ſi tu, quæſo audias me, Geneſ. 23. v. 13. ſubaudi, ſi tu mihi gratificari vis, aut agrum mihi daturus es, aut facturus quod dicis, aut aliquid ſimile.

Si ſic, vt quid ego? Geneſ. 25. v. 22. Pro, ſi ſic futurum eſt, quid proderit concepiſſe.

Ne filiæ meæ, Ruth 1. v. 13. ſubaudi, ſitis mihi moleſtę.

Quis renunciabit mihi, 1. Samuel. 20. v. 10. Pro, ſi tibi benignè reſponderit pater.

Cogitarunt cogitationem, non potuerunt, Pſal. 21. v. 12. Pro, quam non potuerunt perficere.

Euge euge, vidit oculus noſter, Pſalm. 35. v. 21. ſubaudi, quæ optauimus videre.

Vidiſti Iehoua, ne taceas, Pſalm. eodem, v. 22. ſubaudi, iniurias quibus me afficiunt hoſtes mei.

Si quidem fructum fecerit, ſi autem non, poſtea eam excindes, Luc. 13. 9. ſubaudi, ad prius membrum, benè eſt vel non excindes eam.

Nempe si tu nosces, vel hoc saltem dic, quæ ad pacem tuam pertinēt, Luc. 19.42. subaudi, Magnoperè gauderem vel non flerem, vel tu aliter te gereres, vel fœlix esses, aut aliquid simile.

Ellipsis peculiaris est in Aposiopœsi seu reticentia quæ fit specialiter.

I. In Promißionibus: vt, si benedicendo benedixeris mihi, 1. Paralip. 4. v. 10. subaudi, faciam talia vel talia, vel hoc aut illo modo gratus ero.

II. In Comminationibus: vt, si afflixeris pupillum, Exo. 22. v. 23. subaudi, te rursum affligā, aut vicissim puniam.

III. In Iuramentis, idq́ue frequentius. Hic enim pœnæ imprecatio plerunq; omitti solet: Si accepero ex omnibus quæ tua sunt, Genes. 14. v. 23. subaudi, perdat me Deus: vel hoc faciat mihi Deus: & hoc addat, vt integra oratio expressa est, 1. Samuel. 14. v. 44. & alibi.

Si non posui & silere feci animam meam, vt ablectatus apud matrem suam, Psalm. 131. v. 2. subaudi, hæc faciat mihi Deus, vel nunquam Deus mihi adsit, aut aliquid simile.

Sit Iehoua inter nos testis veritatis & fidei, si nō iuxta omne verbum tuum sic faciamus, Ierem. 42. v. 5. subaudi, perdat nos Deus, aut pereamus, aut aliquid simile.

PLEONASMVS.

Repetitio verborum & sententiarum in Sacris literis frequentißima est.

Interdum autem eadem verba repetuntur ad distributionē significandam: vt,

Atrium in angulo atrij erat: atrium in angulo atrij erat: atrium in angulo atrij erat, Ezech. 46. v. 21. Pro, singula atria parua erant, in singulis angulis atrij magni.

Interdum

Interdum eadem aut penè eadẽ ad Emphasin repetuntur: vt, Fecerunt Israël quemadmodum præceperat Moses & Aaron, sic fecerunt, Exod. 12. vers. 50.

Filij Israël comederũt Man quadraginta annis donec ingrederẽtur terram Liberationis. Man comederunt donec venerũt ad terminos terræ Chanaan, Exod. 16. v. 35.

Vir qui adulterium commiserit cum vxore alterius: vir qui adulterium commiserit cum vxore proximi sui, morte moriatur cum adultera, Leuit. 20. v. 10.

Nisi Iehoua fuisset nobiscum, dicat nunc Israël: Nisi Iehoua fuisset nobiscum, Psalm. 114. v. 1. & 2.

Propinquus est Iehoua omnibus inuocãtibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate, Psal. 145. v. 18. & Psalm. 136. Ad singulos ferè versus repetitur clausula, quoniam in secula misericordia eius.

Inter dum autem eadem sententia, sed verbis diuersis repetitur, idq́, vel synonymis vel oppositis negatis.

Synonymis: vt, mensis iste vobis caput mensium erit: primus ipse sit vobis mensium anni, Exod. 12. v. 2.

Si audiendo audieris vocem Dei tui: & quod rectum est in oculis eius feceris: & auscultaueris pręceptis eius: & custodieris omnia statuta eius, *&c.* Exod. 15. v. 26.

Post Iehouam Deum vestrum ambulabitis, & illum timebitis, ac præcepta eius custodietis, vociq; eius obedietis: atq; illum coletis, illiq; adhærebitis, Deut. 13. v. 4.

Eloquia mea auribus percipe Iehoua, intellige sermonẽ meũ, attẽde voci clamoris mei, & Psal. 5. v. 1. & 2.

Audiuit Iehoua vocẽ fletus mei, audiuit Iehoua precationem meam: Iehoua orationem meã suscepit, Psal. 6. v. 9. & 10.

Conuertetur peruersitas eius in caput eius, & in verticem eius iniquitas eius descendit, Psal. 7. v. 17.

Non

Non crediderunt in Deum, & non sperarunt in salute eius, Psalm.78.v.22. Afferte Domino familiæ populorum: afferte Domino gloriam & potentiam: afferte Domino gloriam nominis eius, Psalm.26.v.7. & 8.

Secundum multitudinem fructus sui multiplicarunt altaria, secundum bonitatem terræ suæ cumularunt statuas, Hoseæ 10.v.1.

Oppositis negatis: vt, Emitte nobis frumentum, vt viuamus, & non moriamur, Genes.42.v.2.

Morieris tu & non viues, 4.Reg.20.v.1. Peccatum suũ indicarunt & non absconderunt, Esaiæ 3.v.9.

Maledicta sit dies in qua natus sum, & dies in qua peperit me mater mea non sit benedicta, Ieremiæ 20.v.19.

Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, Iohan.1.v.3.

Confessus est & non negauit, Iohan.1.v.20.

Interdum eadem sententia nũc figurata oratione nunc propria repetitur, quod in Psalmis & Prophetis est frequentissimum.

Ecce parturit vanitatem & cõcepit laborem & pariet mendacium.

Foueam effodit & excauauit eã, & incidet in foueam quam fecit: Reuertitur labor eius in caput eius & in verticem eius iniquitas eius descendet: vbi priora figurata sunt, posteriora propria.

Cum Ephraim inter fratres creuerit, veniet orientalis ventus Iehouæ, è deserto ascendens, & siccabit venam eius, siccabiturq; fons eius: ipse deripiet Thesaurum omnium vasorum pretiosorũ. Desolabitur Samaria, quia rebellauit in Deum suũ, gladio cadẽt ciues eius, paruuli eius allidentur, & grauidę eius discindẽtur, Hoseæ 13.v.15.& 16. vbi primùm figurata, postea propria oratio est.

ENALLAGE.

Enallage membri est cùm membrũ orationis parũ cum membro præcedente conuenit: Et ex accedentium præsertim Numeri, generis, personæ Enallage oritur. Estq; frequentior in scriptis Propheticis quàm Apostolicis. Atq; hæc in genere ἀνωκόλουθον *vocari potest.*

Numeri autẽ mutatio seu Enallage hîc fit, cùm propter alia, tum quod Prophetæ, de populo, aliàs vt vno corpore aut homine, aliàs vt multis membris aut hominibus loquantur, aliàs de multis eiusdem generis: vt,

Eritq; Ephraim veluti columba stolida, & excors Aegyptios inuocabunt & in Assyriam abibunt, Hoseæ 7.v. 10.& 12.

Repulit à se Israël bonũ, itaq; inimicus persequetur eũ. Ipsi regnare fecerunt, & non ex me: principes crearunt & non noui, Hoseæ 8.v.3.& 4. Cùm loquitur Ephraim tremor est, *&c.*

Nunc verò ampliùs peccant, & faciunt sibi cõflatilia, cap. 13.v.1.& 2.

Saluabitur mulier, si manserint in fide & charitate, 1. Tim. 2.15. Pro, manserit puer, & dabit ei vitam: peccantibus dico non ad mortem, 1. Ioh. 5.16. Pro, peccanti.

Generis mutatio fit, cum aliis de caussis, tum quod Prophetæ populum, nunc vt virum, nunc vt fœminam, seu regionem seu vrbem considerent & compellent: vt, Hoseæ, cap. 2. v. 22. hæc exaudient ipsum Israhel. & v. 23. Seminabo eã mihi in terra, *&c.*

Interdum & numeri & generis mutatio concurrit: vt, Hos. 2.v.14. Propterea deducã eã in desertũ. Et 18. Et percutiã eis fœdus in die illa cum bestiis agri, *&c.* Vbi *eam* singulare fœmininum est, *eis* autem plurale masculinum.

Personarum mutatio creberrima est. Nunc enim Prophe-

tæ,nunc Deus,nunc populus Dei,nũc hoſtes populi loquentes introducuntur, & horum ſinguli nunc de ſeſe, nunc ad alias, nunc de alijs loquuntur: vnde oratio frequenter μιμηθικὴ eſt, & perpetuus quaſi διαλογισμός. Sic exempli cauſſa, Pſal.2.perſona minimũ ſepties mutatur.

Primùm enim v.1.& 2.querela Dauidis eſt, de cõſilijs & ſtudijs hoſtium de Eccleſia in tertia perſona.

1. Cur congregant ſe ſummatim gẽtes, & populi meditantur inane.

2. Aſtant Reges terræ,& principes cõſiliũ capiunt pariter,aduerſus Iehouam,& aduerſus Chriſtum eius.

Deinde v. 3. Hoſtes eccleſiæ loquuntur de ſe quidem in prima perſona,de pijs autem in tertia.

3. Dirumpamus vincula eorũ,& proijciamus à nobis funes eorum.

Tertiò. Rurſum narratio eſt in tertia perſona, qua Dei potentia & preſentia hoſtibus Eccleſiæ opponitur.

4. Habitans in cœlis ridebit, Iehouę ſubſannabit eos.

5. Loquet᷑ ad eos in furore ſuo & in ira ſua terrebit eos.

Quartò. Rũrſum Iehoua in prima perſona loquitur.

6. Ego autem conſtitui regem meum ſuper Sion mõtem ſanctum meum.

Quintò. Oratio tribuitur Filio Dei, qui de ſe in prima perſona loquitur.

7. Narrabo decretum quod Iehoua dixit ad me.

Sextò. Oratio rurſum Patris eſt, ad Filium in ſecũda perſona: Filius meus es tu,ego hodie genui te.

8. Poſtula à me,& dabo gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ, *&c.*

Septimò. Ipſe Dauid rurſum loquitur & admonet hoſtes Eccleſiæ vt reſipiſcant, eamq; oppugnare deſinant: idq; per apoſtrophen ad eos in ſecunda perſona.

9 Itaq;



9. Itaq; reges prudenter agite, & erudimini Iudices terræ.

10. Seruite Iehouæ cũ timore, & exultate cũ tremore.

11. Osculamini Filiũ, ne fortè irascatur, & pereatis, *&c.*

Simile ferè exemplum, minus tamen varium cap. 14. Hoseæ est. Et eiusmodi multa passim in Prophetis & Psalmis exempla occurrunt.

Postremò & numeri & generis & personæ Enallage non rarò concurrit: cuius rei existit, ipsa lectio suppeditabit.

Hæc de Phrasibus Hebræis in verbis singulis & sententiæ membris integris. Plura exempla Lector addet: nobis satis erat auditoribus viã mõstrasse.

TROPI Sacræ Scripturæ illustribus exemplis illustrati:

ET

IN ACADEMIA HAFNIENSI publicè propositi:

A'

D. IACOBO MATTHIÆ, fœlicis memoriæ.



HETORICA est ars benè dicendi: cuius partes propriè duæ sunt, Elocutio & Prõnũciatio. Elocutio est orationis exornatio. Hac minimè carẽt Sacrę literę: vnde Augustinus nõ dubitat scribere libro 4. de Doctrina Christiana, cap. 6. hoc modo: Possem, inquit, si vaca-

ret, omnes virtutes & ornamenta eloquētiæ in Sacris literis ostendere. Elocutio est Tropus aut figura. Tropus est Elocutio, qua verbum à natiua significatione in aliā immutatur. Hic etiam in lingua sancta & Scriptura sacra admodum frequens est. Augustinus de doctrina Christiana, li. 3. ca. 29. Sciant, inquit, literati modis omnibus locutionis, quos Grammatici τρόπους appellant, autores nostros vsos fuisse, & multipliciùs & copiosiùs, quàm possunt existimare vel credere, qui id nesciunt.

Et paulò pòst: Troporū non solùm exempla, sed quorundam etiam nomina in diuinis libris leguntur, vt Allegoria, Aenigma & Parabola. Quare cognitio doctrinę de Tropis ad Scripturam intelligendā est prorsus necessaria: vnde & Christus Matth. 16. v. 11. reprehendit discipulos suos, qui troporum usum in sermone non intelligerent. Quomodo, inquit, non intellexistis quòd non dixerim vobis de pane: cùm iuberem, vt caueatis à fermento Pharisæorum & Saducæorum: Christus enim, ut sequitur, non de pane, sed de doctrina Pharisæorum locutus est.

DE HYPERBOLE, CATAchresi & Allegoria.

TRopus si audacior fuerit, Hyperbole appellari potest, Latinè Superlatio, quæ etiā in Sacris literis nō est infrequens. Quòd si durior fuerit, vel inæqualior Catachresis seu abusio dici potest: Grāmaticis ἀκυρολογία, quę etiam in lingua Hebræa frequens est, præsertim si cū linguæ Latinæ consuetudine cōferatur. Cuiusmodi sunt: videre vocē, itē fœtere fecistis odorē nostrū in oculis Pharaonis. Item oculi omnium in te sperant:

Excindere mustum ex ore hominis, debilitari oleum: Exarescere gaudium à filijs hominum. Cùm autem tropi continuantur, & plures ordine coniunguntur ἀλληγορία seu inuersio nominari potest.

DE METONYMIA CAVSÆ.

TRoporum genera duo sunt, primum est in Metonymia & Ironia. Metonymia est tropus causæ ad effectum, subiecti ad adiunctum: vel cōtrá. Metonymia causæ, est efficientis aut materiæ.

Efficiētis vt cùm persona efficiēs pro re effecta est. Sic Christ⁹ interdū pro doctrina & beneficijs Christi vsurpari videtur, vt ad Gal. 3. v27. Quotquot in Christo baptizati estis, Christū induxistis: pro, beneficiorū Christi participes facti estis. Ad Philip. 3. v. 7. Quæ mihi erant lucra, ea duxi propter Christū damna esse, v. 8. Quinetiam certè duco omnia damna esse propter eminētem cognitionem Christi, propter quem me omnibus istis mulctari volo: eaq; duco pro stercoribus, vt Christum lucrifaciā, v. 9. Et comperior in Christo non habēs meam iusticiā, quæ est ex lege, sed eam, quæ per fidem est Christi: id est, iusticiam, quæ est ex Deo per fidem. Vbi tropi interpretatio esse videtur in eminentia cognitionis Christi, & in iusticia per Christi fidem.

Spiritus autem sæpiùs pro donis spiritus est.

Num. 11. v. 17. Et abstulit Iehoua de spiritu, qui erat in Mose, & dedit 70. viris.

Daniel. 5. v. 12. Spiritus amplior & prudentiā, intelligentiaque inuenta sunt in Daniele.

Luc. 1. v. 17. Ipse præcedet eum cum spiritu & virtute. Eliæ. 1. Cor. 14. v. 12. Quoniā ambitis Spiritus, quærite, ut excellatis ad ædificationem Ecclesiæ.

Et v. 32. Spiritus Prophetarũ Prophetis ſubiecti ſunt: id eſt, doctrina ſeu interpretatio, ſeu ſententia vnius doctoris, alterius iudicio ſubiecta erit.

1. Iohan. 4. v. 1. Ne cuiuſuis Spiritui credite: ſed probate an Spiritus à Deo ſit.

Et ſpecialiter Spiritus eſt pro donis, quibus Euangelij prædicatio, & fides credentium olim obſignabantur, vt erant linguæ, Prophetiæ, Miracula, Sanationes: idque maximè cùm Epitheton Sanctus *additur.*

Iohan. 7. verſ. 3. Nondum erat Spiritus Sanctus: Quia Chriſtus nondum erat glorificatus.

Act. 8. verſ. 15. Preces pro ijs faciebant, ut acciperent Spiritum Sanctum.

Et cap. 19. v. 1. Cùm Paulus Epheſum veniſſet, dixit ijs: Num Spiritũ Sanctum accepiſtis, poſtquam crediſtis? At illi dixerunt: Imò ne hoc quidem ſcimus, an ſit Spiritus Sanctus.

Et v. 6. Cùm autem Paulus impoſuiſſet ipſis manus, venit ſuper eos Spiritus Sanctus, & loquebãtur linguis & prophetabant, vbi in poſtremis verbis: *loqui linguis & prophetare*, tropi interpretatio eſt.

Et Pater pro filiis eſt: Sic Iſraël pro filijs Iſraël eſt.

Exod. 5. v. 2. Neſcio Iehouam, & Iſraël non dimittam: id eſt, filios Iſraëlis.

Rom. 9. v. 6. Non omnis qui ſunt ex Iſraël, ſunt Iſraël: id eſt, filij Iſraël.

Sic & Iacob pro filijs Iacob.

Num. 23. v. 10. Quis poteſt numerare puluerẽ Iacob.

Et 24. v. 17. Oritur ſtella ex Iacob.

Sic Iudas pro filijs Iuda.

1. Reg. 18. verſ. 16. Iſraël & Iuda diligebant Dauid.

Oſeæ 5. v. 5. Ruat etiam Iudas cum eis.

Huc

Huc pertinet cùm ſcriptor pro ſcripto ponitur. Sic Nouo præſertim teſtamento Moſes & Prophetæ, pro ſcriptis Moſis & Prophetarum vſurpantur.

Luc. 16. v. 29. Habẽt Moſen & Prophetas, audiãt eos. Et cap. 24. v. 27. Exorſus à Moſe & omnibus Prophetis, interpretabatur ipſis in omnibꝰ Scripturis, quæ de ipſo ſcripta erãt: vbi in voce *Scripturis* tropi interpretatio eſt.

Sic dicitur Moſes legi, Act. 15. v. 20. 2. Cor. 3. v. 15. Sic Eſaias dicitur legi Act. 18. v. 8.

Secundò cùm res efficiens pro re effecta eſt. Quod à Latinis obſeruatum non eſt.

Sic affectuum quorundam nomina pro effectis interdũ ſunt. Sic miſericordia Geneſ. 20. pro officio vel beneficio ex miſericordia profecta eſt.

Gen. 20. v. 13. Hanc miſericordiam mecum facies, vt dicas me fratrem tuum eſſe.

Et cap. 32. v. 10. Minor ſum omnib. miſericordiis tuis.

2. Paral. 35. v. 30. Reliqua facta Ioſię & miſericordię eiꝰ.

Pſal. 88. v. 2. Miſericordias Domini in æternũ cantabo. Oſeæ 6. v. 6. Et de Homine.

Miſericordiam volo, & non ſacrificium, Miſericordiã: id eſt, officia miſericordiæ, & caritates erga Proximum.

Hoc tropo Gręci Eleemoſynam appellãt beneficium pauperibus ex miſericordia præſtitum.

Sic caritas.

1. Iohan. 3. v. 1. Videte qualem caritatem dedit nobis Deus Pater: vt filij Dei vocemur. Pro, quale caritatis officium præſtitit.

Sic ira et ſimilia, pro pœna & vltione quæ ex ira profecta ſunt.

Pſal. 78. v. 6. Effunde iram tuam in gentes, quæ nõ nouerunt nomen tuum.

Micheæ 7. v. 9. Iram Domini portaui: quia peccaui ei.

Rom.

Rom.13.v.49. Magiſtratus eſt vindex ad iram, ei qui malè agit.

Epheſ.5.verſ.6. Propter hæc venit ira Dei in homines contumaces.

Deinde actio pro actionis effectu eſt. Sic opus, ẽris, *pro mercede ſeu præmio operis eſt, quod vel homo homini, vel Deus homini reddit.*

Homo homini.

Leuit.19.v.13. Opus Mercenarij non pernoctabit tecum. Pro, mercedem mercenarij non retinebis in diem poſterum.

Ierem.22.verſ.13. Vę ædificanti domum ſuam, *&c.* qui Proximi ſui opera vtitur gratis, & opus ipſius non reddit ipſi.

Deus homini: vt,

Ruth.2.v.13. Reddat tibi Iehoua opus tuum: ſitque merces tua perfecta à Iehoua: vbi tropi interpretatio ſequitur.

Eſa.40.v.10. Ecce Dominus Iehoua veniet, & merces eius cum eo, & opus illius cum ipſo. Opus pro præmiis, quibus ſuorum calamitates penſabit. Atque hîc etiam tropi interpretatio præcedit, vt etiam hîc.

Cap.62.v.11. Dicite filii Sion: Ecce ſalus tua venit, Ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo.

Et pro merito ſpecialibus.

Rom.11.v.6. Quòd ſi per gratiam, non iam ex operibus: id eſt, meritis, alioqui gratia non gratia. Sin autem ex operibus, non iam ex gratia. Alioqui opus non eſt opus. Vbi gratia & opus: id eſt, meritum opponuntur.

Sic labor pro rebus, labore partis, eſt.

Eccleſiaſt.2.verſ.19. Dominabitur omni labori meo, quòd ſapiens fui: id eſt, rebus labore meo partis.

Ezechiel.

Ezechiel.23.v.29.Tollent omnem laborem tuum, & dimittent te cuidam:pro,facultates labore tuo partas.

Et specialiter pro cibo,labore parto.

Psal.120.v.2.Laborem manuum tuarum mãducabis. Tale & illud videtur,vbi augurium. Pro, præmio augurij seu diuinationis poni videtur.

Num.22.v.7.Perrexerunt seniores Moabetæ,& auguria erant in manibus ipsorum:id est,præmia, quæ darent Balam. Pro,augurio.

Sic iusticia ,pro præmio iusticiæ est.

Gen. 30.v. 32. Et testificabitur de iure & iusticia mea, coram te,cùm viderit mercedem meam.

Deut.6.v.25.Præcepit nobis Iehoua,vt seruemus statuta ipsius,in bonum nostrum:& iusticia erit nobis,si legem seruauerimus : vbi tropi interpretatio præcedere videtur *in bonum nostrum.*

Et cap.24.v. 13. Restitues pauperi pignus post Solis occasum,vt dormiat in vestimẽto suo, & benedicat tibi, tibique sit iusticia coram Iehoua Deo tuo.

1.Sam.26.v.23.Iehoua reddat viro iusticiam suam, & fidem suã. Pro,reddat mihi præmia iusticiæ meæ & fidei meæ ô Saul.

Iudicium Dei præsertim pro pœna impiorum & liberatione piorum.

Exod.6.v.6.Iudiciis magnis redimam vos : id est,Aegyptiorum pœnis.

Prouerb.13.v.29.Parata sunt derisoribus iudicia.

Ezech.14.vers.21.Si quatuor iudicia mea misero,gladium,famem,bestiam malam, & pestem.

Rom.2.v.3. Existimas , ô homo,qui damnas eos,qui talia faciunt, & facis eadem , fore vt effugias iudicium Dei.

1. Cor. 11. v. 29. Qui edit & bibit indignè, iudicium sibi edit, & bibit: id est, pœnam edendo & bibendo sibi attrahit.

2. Pet. 2. v. 10. Quibus iudicium iam olim non tardabit, & quorum perditio nō dormitabit: vbi Tropi interpretatio sequitur.

Et de iudicio hominis.

Ierem. 26. v. 11. Iudicium mortis est viro huic: id est, Ieremias supplicio capitali dignus est.

Peccatum cum Synonimis quibusdam pro peccati pœna est.

Leuit. 22. v. 9. Custodient custodiam meam, & non portabunt peccatum, nec morientur: vbi in verbo *moriendi* Tropi interpretatio est: id est, non luant pœnam.

Deut. 23. v. 21. Si votum voueris Deo tuo, noli committere vt non reddas. Id enim à te exigit Iehoua: & erit in te peccatum: id est, pœna.

Et 24. v. 24. Ne mercede fraudato Mercenarium: ne sit in te peccatum: id est, pœna peccati.

1. Reg. 13. v. 14. Et fuit hæc res in peccatum domui Ieroboam, vt extirparetur atque deleretur domus eius è superficie terræ: vbi in postremis verbis Tropi interpretatio est.

Iniquitas pro pœna iniquitatis est.

Genes. 4. v. 13. Maior est iniquitas mea, quàm vt eam ferre possim.

Et cap. 13. v. 5. Ne fortè pereas in iniquitate ciuitatis.

Psalm. 7. vers. 17. Super verticem eius iniquitas eius descendet.

Atque hoc specialiter fit cum verbo ferendi seu portandi.

Exod. 28. vers. 43. Fac ipsis feminalia, *&c.* ne ferant iniquitatem, & moriantur: vbi Tropi interpretatio sequitur.

Leuit.5.v.1. Cùm anima peccauerit, iniquitatē suam feret: id est, pœnam suæ iniquitatis luet.

Delictum pro pœna delicti, præsertim cùm dicitur aliquid esse in delictum.

1. Paralip. 21. v. 3. vt quid quærit hæc Dominus meus? vt quid erit in delictum Israël: id est, perniciem.

2. Paral. 28. v. 13. Ne adducatis captiuitatem hāc huc, ne sit in delictum Domino super nos.

Tertiò instrumentū est pro re, per instrumētū effecta. Quod à Latinis & rariùs vsurpatur & vulgo non annotatur.

Lingua pro sermone est.

Prouerb. 25. v. 15. Lingua mollis confringit iram. Pro, sermo mollis.

Et v. 23. Vt ventus Aquilo fugat pluuiam: Sic facies verecunda linguam secreti: id est, Qui odit & aduersatur obtrectatores, fugat sermonem occultè detrahentem.

Sic etiam populus profundæ linguæ dicitur.

Esa. 33. v. 19. Non videbis populum profundę linguę, quem, nō possis intelligere: id est, cuius sermo obscurior sit, quàm vt intelligi possit.

Labium pro sermone.

Prouer. 12. v. 19. Labium veritatis firmum erit in perpetuum. Pro, sermo verus.

Et cap. 17. v. 7. Non decet stultum labium excellens: id est, sermo de rebus magnis & arduis.

Et 18. v. 7. Labia stulti laqueus animæ ipsius: id est, suis ipsius verbis capitur stultus.

Et specialius pro dialecto et idiomate sermonis.

Genes. 11. v. 6. & 7. Omnis terra erit labij vnius, & vox vna omnibus. Pro, omnes homines vno sermonis idiomate vtebantur.

Ezechiel. 3. vers. 5. Non ad populum profundi labij &

grauis linguæ mitteris: Quorum non intelligas verba: vbi tropi interpretatio ſequitur.

Os pro ſermone.

Prouerb. 10. v. 11. Vera vita eſt os iuſtorum.

Et 16. v. 28. Os blandum facit impulſionem: Pro, ſermo blandus.

Sic Terent. Os durum. Et Ouid. Os dulce, & os falſum dixiſſe videtur.

Et ſpecialius pro mandato.

Exod. 17. v. 1. Profectus eſt Iſraël ad os Iehouæ: Pro, ad mandatum.

Et 28. v. 21. Quod numeratum fuit ad os Moſis.

Gen. 45. v. 21. Dedit ipſis Ioſeph currus iuxta os Pharaonis. Pro quo dicitur, 1. Reg. 17. v. 1. Non erit pluuia niſi ad oris mei verba.

Et aliter Num. 20. v. 24. Eò quòd rebelles fueritis ori

Ioſuæ. 1. v. 18. Qui reuelauerit ori tuo. (meo.

1. Sam. 24. Peccaui, quia tranſgreſſus ſum os Iehouæ.

Et pro teſtimonio.

Deut. 19. v. 15. In ore duorum teſtium, aut trium ſtabit verbum.

Et 17. verſ. 6. In ore duorum aut trium teſtium interficietur.

Palatum pro ſermone.

Prouerb. 5. v. 3. Leuius eſt oleo palatum extraneę.

Iob 31. v. 30. Non dedi ad peccandum palatum meũ.

Sic brachium et manus pro rebus brachio et manu geſtis: præſertim cùm de Deo dicuntur.

Deut. 11. v. 2. Scitote hodie caſtigationem Iehouæ, manum eius validam, & brachium eius extentum: & ſigna, opera eius, quę facit in Aegypto: vbi tropi interpretatio manifeſta ſequitur.

Et manus seorsim pro plaga, manu inflixa.

Exod. 7.v.4.1.Sam. 5.v.11. Grauis erat valdè manus Dei ibi, Psal. 38.v.3. Descendit super me manus tua.

Et manus etiam pro scriptura est apud Paulum.

1.Cor.16.v.21.Et ad Colos.4.v.18.Salutatio mea manu Pauli.

Sic gladius pro bello, aut cæde est.

Leuit. 36.v.6.Dabo pacē in terra, & gladius non transibit terram. Matth.10.v.34. Non veni missurus pacem, sed gladium: id est, bellum.

Metonymiam rei efficientis & instrumenti apud Latinos esse in voce linguæ & manus & peccati obseruat Augustinus lib.14.contra Faustum Manichæum cap.3.

Mors, inquit, hominis pœna peccati est, vnde & ipsa peccatum dicitur, non quia peccat homo dum moritur. Sicut alio modo dicitur, lingua propriè caro, quæ intra dētes sub palato mouetur. Et alio modo dicitur lingua, id quod per linguam fit, secundum quem modum dicitur lingua Græca, lingua Latina. Et manus vno modo dicitur, propriè ipsum corporis membrum, quod mouetur ad agendum: & alio modo manus dicitur scriptura, quæ per manū fit. Dicimus enim, Prolata est manus eius: lecta est manus eius: habet manum tuam: recipe manum tuam. Hæc Augustinus. Quare non rectè hæc Metonymia à Latinis prætermissa est. Metonymia ergo caussę efficientis sic fuit.

Metonymia materiæ pro materiato.

Sic puluis & cinis pro homine est, ex puluere & cinere facto.

Genes.3.v.19. Ex terra sumptus es, puluis es, & in puluerem reuerteris: vbi tropi interpretatio præcedit.

Et 18.v.27. Dixit Abraham ad Deū: Ecce cœpi loqui ad Iehouam, qui sum puluis & cinis.

Sic aurum, argentum, & alia similia pro rebus ex auro, argento, &c. factis.

Num. 31. v. 50. Accepit Moses & Eleazar Sacerdos aurum ex illis, nempe omnia vasa operis: vbi Tropi interpretatio sequitur.

1. Paralip. 29. v. 2. Totis viribus meis pręparaui domui Dei mei. Aurum ad aurum: id est, ad aurea vasa, argentũ ad argentum, & æs ad æs, & ferrum ad ferrum, & ligna ad lignum: Vbi in voce auri, argenti, æris, ferri, & lignorum, posteriori loco Tropus est.

Et specialiter pro idolo ex auro aut argento facto.

Psal. 115. v. 4. Simulacra gentiũ argentum & aurum: id est, argentea & aurea sunt.

Sic cedrus, pro tabulis cedrinis est.

1. Reg. 6. v. 18. Cedri erant in domo intrinsecùs. Pro, tabulæ cedrinæ vestiebant partem interiorem domus.

Sic pelles sunt pro tentorijs ex pellibus factis.

2. Sam. 7. v. 2. Ego habito in domo cedrina, arca autẽ habitat in pellibus: id est, in tẽtorijs. Atq; hactenus Metonymiæ caussa fuit.

Metonymia effecti, cùm effectum pro efficiente ponitur. Quæ tota verè à Latinis prætermissa est: Estq́, duplex ratione efficientis: & effectus pro Persona efficiente est.

Sic salus pro Deo seruatore est.

Esaiæ 33. v. 10. Tu salus nostra es in tẽpore angustiæ.

Abacuch. 3. v. 48. Lætabor in Deo salute mea: id est, autore salutis.

Luc. 1. v. 47. Exultat Spiritus meus in Deo salute mea.

Et de Meßia.

Gen. 49. v. 18. Salutem tuã expecto Iehoua. Pro, Messiam seruatorẽ promissum. Quomodo & Chaldæus hũc locum interpretatur.

Luc.2.v.30. Vident oculi mei salutē tuam: id est, Messiam seruatorem iam natum & exhibitum.

Sic & alia nomina de Deo dicuntur.

Deut.30.v.20. Iehoua Deus est vita tua, & longitudo dierum tuorum. Pro, autor vitæ & longitudinis.

Psalm.3.v.4. Tu Iehoua gloria mea, & exaltans caput meum. Pro, autor gloriæ meæ: vbi Tropi etiam interpretatio sequitur.

Ierem.16.v.19. Dominus fortitudo mea, & robur meum est. Pro, autor fortitudinis & roboris.

Sic de Christo in nouo Testamento.

Ioh.11.v.25. Ego sum resurrectio & vita. Pro, autor resurrectionis & vitæ: seu resuscitator, & viuificator.

Et 14.v.6. Ego sum via, veritas, & vita. Pro, Dux, Magister, & viuificator, viæ, *&c.*

1.Cor.1.v.20. Christus factus est nobis à Deo, sapiētia, iustificatio, sanctificatio & redēptio. Pro, autor sapiētię.

Et de Homine.

2.Corinth.1.v.14. Nos gloriatio vestra sumus: quemadmodum & vos nostra, *&c.* Pro, nos sumus caussa gloriandi seu gloriationis: quòd à me sitis instituti in Euāgelio: & vos mihi vicissim, quòd vos Christo lucrifecerim.

Effectus est pro re efficiente.

Deuteron.30.vers.15. Ecce propono tibi hodie vitam & mortem, bonum & malum. Pro, caussam vitæ & mortis, *&c.* nempe doctrinā cœlestē & cultū veri Dei.

Num.22.v.7. Auguria erant in manibus ipsorum. Pro, munera & præmia caussæ auguriorum, quibus Balaam ad augurandum inuitaret.

Ioh.3.v.19. Hoc est iudicium, quod lux venit in mundum: sed dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem: Pro, caussa iudicij seu cōdemnationis hominum

Et

Et 17.v.3. Hęc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Pro, caussæ uitæ æternæ.

Rom.7.v.7. Quid ergo dicemus: id est, num lex peccatum est, pro caussa peccati.

Sic res conseruata pro caussa conseruante est, quod Latinè durius est.

Deut.20.v.19. Cùm obsederis vrbem, non cædes securibus arbores fructiferas: sed illarum fructus vesceris. Arbor enim agri homo est. Homo: id est, res conseruans hominem, & vitam eius, nempe fructu suo.

Et 24.v.6. Nemo accipiet pro pignore vel superiorē vel inferiorem molam. Quoniam hoc est animā accipere. Animam pro rem animæ & vitæ cōseruationem, vtilem & necessariam.

Atq; hanc Metonymiam effecti etiam in substantiuis apud Latinos fieri subindicat Augustinus Tom.1. de lib. arb. lib. 3. cap. 19. & 6. Tom. de impijs & concupiscentia, lib. 1. cap. 13. Et contra duas Epistolas Pelagianorum, lib. 1 cap. 12. Vbi ait concupiscentiam peccatum appellari in renatis per eum Tropum, quo vel nomen caussæ effectui tribuitur: vel contrà, quo nomen Effectus caussæ tribuitur, atq; eiusmodi sunt illa apud Latinos.

Virgil.1. Aeneid. *Nate, meæ uires, mea magna potentia solus.*

Terent. Nisi eo ad mercatum, maximum damnum est mihi. Pro, caussa damni.

Propert. lib. 1:

Sit mihi præcipuè puluis Hetrusca dolor. Pro, caussa doloris.

Tertia species, Metonymia Subiecti, cùm Subiectum pro Adiuncto est.

Ac 1. Personæ pro Persona.

Sic Iehoua est pro Iehouæ Angelo seu ministro.

Iudicum

Iudicum 6.v.23. Et dixit ei Iehoua: Pax tibi, nõ morieris. Et sic versu 14.& 16. est: Pro quo alijs versibus dicitur Angelus Iehouæ.v.20. Angelus verò Iehouæ recessit ab oculis eius. Et v.21. Videns autem Gedeon, quòd Angelus Iehouæ esset, *&c.* Quamuis in his & similibus locis potiùs Filius Dei, qui est verus Iehoua, Angelus Dei dici videatur.

Et pro Sacerdotibus, & Iudicibus, ministris Iehouæ.

Deut.19.v.17. Tunc stabunt duo illi homines, quibus lis est coram Iehoua: id est, coram Sacerdotibus, & iudicibus, qui sunt illo tempore.

Et pro Populo Iehouæ.

Iudicum 5.v.23. Maledicite terræ Meros, dicit Angelus Iehouæ: maledicẽdo maledicite habitatoribus eius. Quia non adfuerunt ad auxilium Iehouę contra fortes. Iehoua pro populo Iehouæ, qui dux & defensor populi in prælio fuit.

Sic Christus est pro Christianis & Ecclesia Christi.

1.Cor.12.v.12. Sicut corpus vnum est, & multa habet membra, & omnia membra corporis vnius multa cùm sint, vnum tamen sunt corpus. Ita & Christus est: id est, Christi Ecclesia multa membra habet: & multi fideles vnum corpus Christi, seu vnam Ecclesiam constituunt. Sequitur enim nos omnes per vnum spiritum in vnum corpus baptizati sumus. Vnde & Christus suam Personã pro suis vsurpat. Qui Tropus suauissimus est, & consolationis plenissimus.

Matth.25.v.34. Esuriui & dedistis mihi cibum: sitiui & dedistis mihi potum: vbi sequitur Tropi interpretatio. v.43. Quicquid fecistis vni ex fratrib. meis, mihi fecistis.

Act.9.v.4. Ego sum Iesus, quẽ tu persequeris. Pro, cu-

ius discipulos persequeris. Dicitur 11.v.1. & 2. Spirans minas & cædem aduersus discipulos Domini.

Et persona pro re adiuncta.

Sic Iehoua est pro Archa, Tabernaculo, & Templo Iehouæ: præsertim cùm aliquid coram Iehoua fieri dicitur.

Pro Archa, idq; sæpiùs.

Exod. 16.v.33. Repone Man coram Iehoua in custodiam. Pro quo v.34. dicitur: Et posuit Aaron Man corã testimonio: id est, Archa testimonij.

2. Sam. 6. v4. & 5. Tulerũt ergo Archam è domo Aminadab. Aha autem ibat ante Archam: Dauid verò & totus Israël ludebant coram Iehoua: id est, coram Archa Iehouæ.

Pro Tabernaculo.

1. Sam. 21. v. 7. Ibi erat quidam de seruis Saulis eo tempore qui commorabatur coram Iehoua: id est, coram Tabernaculo.

Pro Templo.

2. Paralip. 20. v. 13. Omnis filij Iuda stabant coram Iehoua. Pro, quo. v. 5. dicitur: In domo Iehouæ. Pro, ante Templum.

Possessor pro domo est.

Marc. 5. v. 35. Adhuc eo loquente veniunt quidam à Principe Synagogæ. Pro, à domo Principis.

Et pro facultatibus.

2. Cor. 12. v. 20. Sustinetis, si quis vos deuorat, exedit vos: id est, facultates vestras.

Res subiecta primùm pro persona est: sicut locus, pro hominibus loci incolis est.

Mundus pro hominibus.

Ioh. 3. v. Sic Deus dilexit mundum, *&c.*

2.Cor.5.v.19.Deus per Christum mundum sibi reconciliauit.

Terra pro hominibus.

Genes.6.v.11.Corrupta est terra coram Deo.

Et 11.v.1.Terra erat labij vnius.

Matth.5.v.13.Vos estis sal terræ.

Regionis nomen speciale.

Genes.47.v.15. Omnis Aegyptus veniebat ad Iosephum.Pro,omnes Aegyptij.

Matth.3.v.5. Omnis Iudęa exiuit ad Iohannem. Pro, omnes Iudæi.

Rom.15.v.26.Placuit Macedoniæ & Achaiæ Eleemosynas conferre.

Et Regnum pro Regni incolis.

2.Paralip.32.v.9.Synacherib oppugnabat Lachis, & omne Regnum eius erat cum eo.

Vrbs pro Oppidanis.

1.Sam.22.v.19.Vrbs Syclad percussa est ore gladij.

Porta pro senatu aut ciuibus.

Ruth.3.v.11.Nouit vniuersa populi mei,&c.

Castra pro copijs seu militibus.

Iudicũ 4.v.16. Ceciderunt omnia castra Sicera:id est, omnes milites hostium.

Res subiecta pro re adiuncta est.

Sic nidus pro pullis est.

Deut.32.v.30.Sicut aquila excitat nidum suum ad volandum:id est,pullos.

Sic vas pro eo est,quod vase continetur: vt,

Calix pro vino.

Ierem.49.v.12.Quorum non fuerit iudicium, vt calicem biberent,bibendo bibent.

Ezechiel.23.v.32.Calicem ſororis tuæ bibes.Tale eſt illud Virgil. *—ille impiger hauſit*

Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro: id eſt, aureo.

Sic Hydria.

1.Reg.17.v.14.Hydria farinæ non deficiet.Pro,farina hydriæ non deficiet.

Deinde argumentum ſcripti pro ſcripto eſt. Sic fœdus pro libris ſeu tabulis fœderis eſt apud Paulum.

Rom.9.v.5.Quorum ſunt fœdera.

2.Corin.3.v.14. In lectione veteris fœderis ſeu teſtamenti.

Sic onus pro Prophetia de onere apud Prophetas.

Eſa.21.v.1.Onus deſerti:vbi ſequitur Tropi interpretatio, *Viſio dura oſtenſa eſt mihi.*

Secundò in cæremonijs & rebus ſacris ſpecialiter rei, vel actionis appellatio tribuitur cæremoniæ aut victimæ.

Sic fœdus pro ſigno fœderis ſolenni accipitur primùm de circumciſione.

Geneſ.17.v.2. Ponam fœdus meum inter te & me, & circumcides omnes maſculos, *&c.* Quod v.11.& 12.dicitur:Et erit ſignum fœderis inter te & me.

Deinde de Sabbatho.

Exod.31.v.16. Obſeruabũt filij Iſraël Sabbathum in generationibus ſuis: quia fœdus perpetuũ eſt. Pro quo verſu 13.dicitur: Sabbatha mea ſeruabitis : quia ſunt ſigna inter me & vos perpetua, vt ſciatis quòd ego ſim Iehoua ſanctificans vos.

Sic fauor & gratia pro Signo ſolenni fauoris, & gratiæ dici videtur.

Exod.28.v.38. Aaron portabit laminam in fronte in fauorem & gratiam Iehouæ erga ipſos :pro,in ſignum fauoris & gratiæ.

Deinde

Deinde actionis appellatio pro victima ponitur. Sic peccatum cum Sinonymis pro victima est, quæ pro peccato expiando offertur.

Exod. 29.v.24. Carnem iuuenci & pellem eius combures extra castra. Nam peccatum est.

Leuit.4.v.14. Accipiet Sacerdos de sanguine peccati digito suo.

2.Cor.5.v.21. Fecit Deus vt is, qui non nouit peccatum. Pro, nobis peccatum fieret: vbi posteriori loco tropus est.

Sic delictum.

Leuit.7.v.2. Vbi holocaustum mactabunt: ibi & delictum mactabunt.

Et iniquitas.

Oseæ 4.v.8. Peccata populi mei comedunt: & ad iniquitatem eorum leuant animas suas.

Apud Latinos contrarius flexus est in voce piaculi, quod primò significat hostiam, quo expiatur peccatum: hostia ad ipsum peccatum significandum accommodatur, vt in illo Virg.

Distulit in seram commissa piacula mortem.

Et Pascha seu transitus est pro victima & sacrificio: quod Deo offertur, pro celebrando beneficio transitus Iudæis præstito in Ægypto.

Exod. 12.vers. 11. Comedit agnum festinanter: quia Pascha seu transitus Iehouę est. Et 21. Accipite pecora & immolate Pascha seu transitum. Pro quo versu 26.& 27. dicitur: Cùm autē dixerint vobis filij vestri, quid sibi vult cultus iste? Tūc dicetis, sacrificiū est Paschæ seu trāsitus.

2.Paralip.20.v.15. Deinde sacrificarunt Pascha.

Et 17.v. Sacerdotes erant occupati in immolatione Paschatum.

1. Cor. 5. v. 7. Pascha nostrum immolatus est Christus. Atque sic ferè Homerus locutus est Iliados 3. vers. 245. Cùm ait præcones per vrbem gestasse fida Deorum fœdera, scilicet agnos duos & vinum. Vbi fœdera vocat sacrificia ad fœdus confirmandum & celebrandum adhibita.

Metonymia adiuncti est, cùm Adiunctum pro Subiecto ponitur. Estque duplex. Primum enim res adiuncta pro persona subiecta est: vel vt Grammatici dicunt, Abstractum pro concreto est, aut Substãtiuum pro Adiectiuo coniugato & gentili est. Quod in Phrasibus Hebraicis Enallage fuit.

Sic virtus, vitium, aut simile accidens pro homine est.

Iusticia pro iustis.

Psal. 11. v. 7. Iustus est Iehoua & iusticias diligit: id est, iustos.

2. Cor. 5. Vt nos fieremus iusticia Dei per eum. Pro, iusti coram Deo.

Peccatum pro peccante, seu Peccatore.

Prouer. 14. v. 6. Iusticia custodit Perfectum via: Impietas peruertit peccatum: id est, Peccatorem.

Esa. 1. vers. 18. Si fuerint peccata vestra rubra vt coccinum, *&c.* Pro, si vos rubri fueritis, scil. ex plagis propter peccata.

2. Cor. 5. Eum qui nouit peccatum, Pro nobis fecit peccatum: id est, peccatorem, scilicet imputans ipsi peccata hominum. Sic enim quidam eum locum interpretantur.

Lepra seu plaga pro leproso.

Leuit 13. v. 12. Videbit eum Sacerdos: & tum declarabit plagam eius mundam. Pro, Leprosum mundum, vt eo cap. passim.

Matth. 8.

Matth.8.verſ.3.Et ſtatim purgata fuit lepra eius. Pro, ipſe Leproſus: præcedit enim volo mundus eſto.

Captiuitas pro captiuis.

Num. 31.v.12. Adduxerunt ad Moſen captiuitatem & prædam:id eſt,captiuos.

Pſal.68.verſ.19. Et Epheſ.4.v.8. Aſcendit in altum, captiuam duxit captiuitatem.

Abominatio pro abominabili.

Geneſ.46.verſ.34. Abominatio eſt Aegyptiis omnis Paſtor.

Luc.16.v.15. Quod eſt altum coram hominibus, eſt abominatio coram Deo: vbi de hypocritis ſuperbis loquitur.

Somnus pro ſomnolento.

Prouerb.23.verſ.21. Potator & epulo pauperes efficientur: & laceras veſtes induet ſomnus: id eſt, ſomnulentus.

Apud Paulum præputium pro præputiatis & circumciſis.

Rom.3.v.30. Vnus eſt Deus, qui iuſtificauit circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.

Philip.3.v.3. Nos ſumus circumciſio, qui Spiritu Deo ſeruimus.

Sic opus pro operante.

Rom.13.v.2. Magiſtratus non eſt terrori bonis operibus:id eſt, benè operantibus.

Sic ſpes ſeu expectatio pro expectante eſt in Proſopopeïa.

Rom.8.v.13. Creaturæ expectatio, expectat reuelationem filiorum Dei. Pro, ipſa creatura expectat.

Adiuncta res pro perſona ſubiecta eſt nominis diuerſi. Sic nomen pro Deo Chriſto, aut homine eſt.

Pro Deo.

Pſal.20.v.2. Exaudiet te Iehoua in die anguſtię: & protegat te nomen Dei Iacob.

Et

Et 115.v.11. Non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam.

Pro Christo.

Iohan.3.v.18. Qui credit in eum, non condemnatur. Qui autem non credit, iam condemnatus est. Quia non credit in nomen vnigeniti filii Dei. Vbi tropi interpretatio præcedit.

Act.3.vers.16. Per fidem in nomen ipsius, hunc quem conspicitis confirmauit nomen ipsius: id est, Christus. Et 4.vers.12. Non est aliud nomen sub cœlo datum, per quod oporteat nos seruari. Pro, non est alius Christus aut Messias.

Pro homine.

Act.1.vers.15. Erat autem turba, quasi centum viginti nominum: id est, hominum.

Apocal. 3.v.4. Habes aliquot nomina in Sardibus: id est, aliquot homines.

Et cum tropo hoc aliquo modo conuenit, quod apud Latinos dicitur: Nomen Romanũ Volschum, pro Romanis, Volschis, vt sæpè est apud Liuium. Et quod nomina pro debitoribus vsurpent Latini.

Res adiuncta pro re subiecta est. Sic primum sensus, affectus, aut actio hominis pro re quæ sensui, affectui, & actioni subiecta est.

Sic auditus pro sermone audito est.

Esa.53.v.1. Rom.10.v.20. Quis credit auditui nostro: id est, sermoni.

Et pro fama audita.

Abdiæ 1.v.1. Auditum audiuimus à Domino.

Matth. 4. vers. 24. Exitus auditus eius in totam Syriam. Sic Thucidides voce Græca ἀκοῖς vsus est.

Spes

Spes pro reſperata.

Prouer.13.v.12.Spes quæ differtur, affligit animam.

Rom. 8. v. 24. Spes quæ cernitur, non eſt ſpes:vbi ſequitur,quod enim quis cernit,cur ſperet?

Gal.5.v.5.Spem iuſticiæ expectamus.

Petitio pro re petita.

1.Sam.1.v.27.Dedit mihi Iehoua petitionem meam: id eſt,quòd petii.

Iob 6. v.8. Quis det,vt veniat petitio mea,& expectationem meam det mihi Deus.

Tempus pro re, quæ in tempore fit, primum generaliter pro rebus.

Eſter 1. Dixit Rex ſapientibus, ſcientibus tempora: id eſt,res retroactis temporibus geſtas.

Et ſpecialiter primum pro rebus ſecundis, ſed rariùs.

Iob 11.verſ.17.Ipſo meridie clarius ſurget tempus tuum.

Et pro aduerſis, ſæpiùs.

1.Paralip. 26.v.30. Geſta Dauidis cum omni regno eius, & tempora quæ tranſierunt, ſuper eum, & ſuper Iſraëlem. Sic Cicero hoc ſenſu exclamat: O' tempora, ô mores: & tempora Reipublicæ amicorum. Pro, periculis & neceſſitatibus dixit.

Sic etiam dies pro rebus aduerſis eſt.

Iob 18.v.19.Super Dies eius obſtupeſcent Poſteri.

Pſal.137.verſ.7.Recordare Iehoua Edum,& diei Hieruſalem, *&c.*

Et pro iudicio apud Paulum.

1.Cor.4.v.5.Mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die:id eſt, iudicio.

Sic verbum pro re eſt,quod eſt merè Hebraicum.

Geneſ.20.v.10.Quid feciſti verbum hoc?

Esa. 39. v. 20. Non fuit verbum, quod non ostendit ipsis Ezechias.

Luc. 2. v. 15. Trãseamus Bethlehem, vt videamus verbum, quod indicauit nobis Deus.

DE IRONIA.

IRonia est tropus à contrario ad contrarium: id est, fit in specie aliqua contrariorum. Εἴρων Græcè, est cauillator, dissimulator, delusor, & irrisor. Et Ironia, simulatio, dissimulatio, illusio, irrisio est. Augustinus libro 3. de doctrina Christiana, cap. 29. & lib. contra Mendacium ad Cõsentium cap. 10. Antiphrasin appellat, nomine admodum conuenienti: etsi vulgò specialiùs vsurpetur. Quid, inquit, ad Consentium, quod tropica locutio vsq; ad eam peruenit, quæ appellatur Antiphrasis, vt dicatur abundare, quod non est: dulce esse, quod acidum est: Lucus quòd non luceat. Parcæ quòd non parcant. Et in Scriptura benedicere pro maledicere. Qui locus est 3. Reg. 21. v. 10. & Iob 2. v. Agnoscitur autem hic tropus ex dissensione vel rei, vel pronunciationis, vel vtriusque. Nam si altera vel vtraque à verbis dissentit, apparet mẽtem voci cõtrariam esse. Plerunq; autem hic tropus sub specie affirmationis, laudationis, iussionis, permissionis, negat, reprehendit, & vetat: & vt in tragœdia est, dura molliter dicit. Fit autem Ironia, in omnibus vocum generibus, sicut & metaphora, præterquã in coniunctione.

Hic autem tropus in species veras diuidi non potest, contrariorum enim nullæ veræ sunt species.

Potest autem docendi caussa, duplex Ironia in Sacris literis cõstitui, Nempe pia & impia. Pia quę fiat in Persona Dei, Christi, aut hominum piorum.

In Persona Dei Ironia est, qua peccatum reprehenditur: vt,

Genes. 3. v. 22. Dixit autem Iehoua: Ecce homo iste, factus

factus est quasi vnus ex nobis, &c. Pro, minimè nobis: id est, Deo similis est, sed homo miserrimus.

Iudicum 10. v. 14. Dixit autem Iehoua ad filios Israël: Ite & clamate ad Deos vestros, quos elegistis, ipsi saluãt vos tempore angustiæ vestræ. Pro, si nunc Deos vestros inuocaueritis minimè saluabunt.

In persona Christi Ironia est: Qua vel fides Piorum tẽtatur, qualis hæc esse videtur.

Matth. 15. vers. 14. Ipse verò respõdit dicens: Nõ sum missus nisi ad oues perditas domus Israël, &c. Vbi factũ Christi à verbis ipsius discrepat: Christus enim filiã mulieris sanitati restituit.

Vel etiam factũ aliquod, & præcipuè peccatũ reprehenditur.

Matth. 26. v. 45. Et vidẽs eos dormiẽtes, dixit: Dormite iã & requiescite: q. d. minimè nũc dormiẽdi & quiescẽdi tempus est, sed vigilandi potiùs, & periculi cauendi.

Et v. 50. Et dixit Iesus Iudę: Amice, quorsum vadis? Vbi amicus est pro inimico & hoste.

Marc. 7. v. 9. Et dixit Iesus Pharisæis hypocritis: Bene sanè abrogatis mandatum Dei, & traditiones vestras seruatis. Pro pessimè facitis, dum id agitis.

Luc. 11. v. 41. Date eleemosynam, & ecce omnia erũt vobis munda. Pro, minimè mũda erũt: etsi eleemosynas dederitis, vel minimè eleemosyna expiabitis Pecccata.

Iohan. 7. v. 28. Clamabat Iesus in templo, dicẽs: Et me nostis, & vnde sim nostis: q. d. minimè nostis.

Et Christus non solùm in sermone, sed etiam in gestibus pia Ironia vsus esse legitur.

Lucæ 24. Et ipse fingebat se longiùs iturum esse, sed ipsi coëgerunt eum, vt maneret. Vbi præ se tulit se longiùs iturum, vt coactus manere gratior discipulis esset.

In persona piorum ironia est, qua impij, & ipsorum facta reprehenduntur.

1.Sam.26.v.15.Dixit autem Dauid ad Abner:Nũquid non vir es? Et quis alius est similis tui in Israel? Pro, minimè vir es: sed ignauus & imbellis, qui regem non custodis.

1. Reg. 18. Cùm autem esset meridies, illudebat eis Elias, dicens: Clamate altiùs: Deus enim est. Sed aliquid fortassè contemplatur, aut occupatus est, aut iter facit, nisi fortè dormit, vt sit expergefaciendus: q.d. Baal, nec Deus, nec homo viuus est.

Et cap.22.v.15.Cùm ergo venisset Micheas ad regem Achab, tunc dicit ad eum rex: Michæa ire ne debeo in Ramoth Giliat, in bellum an desistere? Et dixit ad eum Michæas: Ascẽde & prosperè agas. Nam tradat Ramoth in manus tuas: q. d. hoc minimè futurum est, vt paulò pòst prædicit. Rex ironiam intelligens iureiurando addit, vt seriò verum dicat, quod & facit.

2.Reg. 8.vers. 9. Abiit Hasael in occursum Prophetæ cum muneribus & ait: Filius tuus Benhada misit me ad te, vt sciscitarer an ex hoc morbo conualescere possit. Cui respõdit Elisæus: Vade dic ei quod victur⁹ est. Quibus verbis impium regem, & populi Dei hostem tãtùm ludit. Nam paulò pòst addit: Ostẽdit mihi tamen Iehoua quòd sit moriturus.

Ezechiel 28.vers.3. Ecce sapientior es Daniele. Nihil est tam occultum, quod te lateat. Quibus verbis Propheta Regi Tyri illudit: q. d. minimè sapiens es, sed fatuus.

Ioëlis 3.vers.3. Amos 4. vers. 4. Venite in Bethel, impiè agite in Gilgala, multiplicate præuaricationem, & offerte victimas vestras: vbi sub specie præcepti & exhorta-

exhortatione ad idololatriam exercendam ironica reprehenſio idololatriæ eſt.

Naoh 3.v.14. Aquam ad obſidionem hauri, inſtaura munitiones tuas, *&c.* Ironicè conatus inanis Niniuitarũ ſignificatur.

Act.23.v.5. Dixit autem Paulus: Neſciebã, fratres, Pontificem Maximũ eſſe, *&c.* Simulat ſe ignorare, quod maximè norat.

1.Cor.4.v.8. Iam ſaturati eſtis, iam ditati eſtis, abſque nobis regnum adepti eſtis: q.d. minimè ſaturati eſtis: id eſt, ſcientia & cognitione ſolida Euangelij abundatis.

Et cap.9.v.6. An ſolus ego & Barnabas non habemus poteſtatem non operandi: q.d maximè habemus.

2.Cor.3.v.1. Num egemus, vt nonnulli commendatitijs Epiſtolis ad vos, aut à vobis: q.d. minimè.

Et 10.v.12. Non audemus cõnumerare aut cõparare nos cum quibuſdã, qui ſeipſos cõmendãt: q.d. maximè.

Et 11.v.19. Libenter toleratis inſipiẽtes, cùm ſitis Sapientes: q.d. minimè ſapientes eſtis, qui ſinitis vobis à Pſeudoapoſtolis imponi.

Et 12.v.3. Quid eſt in quo fueritis inferiores cæteris Eccleſijs: niſi quòd Ego vos non grauarim? huius iniuriæ gratiam mihi facite. Iniuriã vocat & deprecatur ironicè: vt Auguſtinus etiam contra aduerſarium Legis & Prophetarum hunc locum interpretatur.

Ironia impia primùm in perſona Sathanæ.

Geneſ.3.v.4. Et dixit Serpens ad mulierẽ: Non omnino moriemini: ſed eritis ſicut ſcientes bonũ & malum.

Matth.4.v.3. Cùm veniſſet ad Ieſum tẽtator, dixit: Si filius Dei es, iube vt lapides iſti panes fiãt. Et v.6. Si filius Dei es, mitte te deorſum. In quibus verbis Theophilactus adulationem & perinde ironiam agnoſcit. Neque

enim Diabolus voci cœlitùs de Christo missæ, quòd filius Dei esset, credidit: vt sit sensus. Nec filius Dei es, nec hoc facere potes.

In persona hominum impiorum.

Gen. 37. v. 19. Et dixerũt inter sese: Ecce Magister, ille Somniorum venit, adeste occidamus eum. Pro, minimè magister.

Exod. 14. v. 11. Et dixit populus ad Mosẽ: An ideo eduxisti nos ex Aegypto, vt moriamur in deserto, quòd non fuerint in Aegypto sepulcra: q. d. ibi sepulcrorũ satis erat.

2. Sam. 6. v. 20. Egressa est Michol obuiam Dauidi, & dixit: O' quãta fuit hodie regis Israëlitici grauitas &, Pro, quanta fuit tua leuitas.

Psalm. 22. v. 9. Et Matth. 26. v. 43. Deuoluit res suas ad Iehouam: Eruat eum, eripiat eum, quoniã placet ei: q. d. minimè eruat, nec placet. Est enim mimesis Ironica impiorum, Dauidem, & Christum ipsum deridentium.

Matth. 2. v. 8. Profecti illuc, exquirite de puero, & renunciate mihi, vt Ego veniam & adorem eũ. Pro, cum interficiam.

Et 22. v. 16. Mittunt ad eum Pharisęi discipulos suos, dicentes: Pręceptor, scimus te veracem esse, & viam Dei syncerè docere, nec quenquã curare. Neq; enim Christũ vęracem esse aut rectè docere Pharisęi existimarunt.

Et 26. v. 29. Et milites genu flexo antè eũ, illudebãt ei dicentes: Aue Rex Iudęorum: q. d. minimè rex.

Et v. 39. Serua teipsum si filius Dei es, descende de cruce: q. d. minimè seruabis te. Et 42. Si Rex Israël est, descendat nũc de cruce, & credamus ei: q. d. Nec descendit nec credimus. In quibus etiã amarulenta Sarcasmus est.

Tropi primum genus fuit in Metonymia & Ironia: secundum sequitur in Metaphora & Sinecdoche.

TER-

TERTIVS TROPVS
Metaphora.

Metaphora est Tropus à simili, ad simile. Estq; frequens admodum in Sacris literis cum alijs de caussis, tũ propter ellipsin particulæ similitudinis Caph Hebræis familiarem: vt in Phrasibus in capite de Aduerbio dictum est. Vt autem Ironia, ita & Metaphora in tribus orationis partibus, Nomine, Verbo, & Aduerbio fit: cuius rei pauca exempla recitabimus. Huc autem propriè & commodissimè omnia Adiectiua, Verba & Aduerbia tropicè vsurpata, referri possunt: nisi quatenus significatio contraria est, quod Ironiæ est.

In Substantiuis.

Deus pro hominibus autoritate præstantibus.

Psal. 82. v. 1. Deus stat in cœtu Deorum: & in medio Deorum iudicat. Et v. 6. Ego dixi: Dij estis.

Exercitus pro stellis.

Ierem. 33. v. 22. Non potest numerari exercitus cœli.

Adeps de frumento.

Deut. 32. v. 14. Comedit fructus agrorum vnà cũ adide granorum tritici.

Ouis de homine.

Psalm. 99. v. 3. Nos populus tuus sumus: & oues pascui tui.

Sal de Doctore.

Matth. 5. v. 13. Vos estis Sal terræ.

Lux de Christo summo doctore Ecclesiæ.

Ioh. 8. v. 12. Ego sum lux mundi.

Sic virtus pro virtute est, vt iustitia pro misericordia.

Psal. 103. v. 17. Misericordia autē Domini, ab æterno vsq; in æternum, *&c.* & iusticia eius erga filios filiorum.

In adiectiuis: vt, Ebrius sanguine.

Apocalyp. 17. v. 6. Vidi mulierē Ebriam sanguine Sanctorum.

Sana doctrina.

Ad Titum 2. v. Tu loquere, quæ sanam doctrinā decēt.

Mortuus de incredulo, & mundo addicto homine.

Matth. 8. v. 22. Sequere me, & sine vt mortui sepeliant suos mortuos.

Cæcus de animo.

Matth. 15. v. 14. Cæci sunt, & cæcorum duces.

Præputiatus corde.

Ierem. 9. v. 26. Israël pręputiatus est corde: id est, Profanus & impius est.

Præputiata auris.

Ierem. 6. v. 10. Præputiata est auris corū. Pro, surda est.

Et Præputiatus labijs.

Exod. 6. v. 13. Quomodo audiet me Pharao, cùm sim præputiatus labijs: id est, infans & indisertus.

In verbis.

Sic verbū cognoscendi est pro curare, cōplecti & defendere.

Psal. 1. v. 6. Nouit Dominus viam iustorum: id est, Probat & amat.

Prouerb. 20. v. 7. Nouit iustus caussas pauperum. Pro, curat & defendit.

Amos 3. v. 2. Audite Israëlitæ, tantùm vos noui ex omnibus gentibus. Pro, vos præcipuè complector.

Rom. 11. v. 2. Nō abiecit Deus populum suum, quem antè cognouit. Pro, elegit & complexus est.

Est & nosse pro facere.

Psal. 35. v. 11. Quæ non cognoui, interrogarunt me. Pro, quæ non feci.

2. Cor.

2.Cor.5.v.21.Fecit Deus, vt qui nō nouit peccatum, pro nobis peccatum fieret. Pro, qui non fecit peccatū.

Sic obliuisci pro negligere, contemnere, &c, abijcere est.

Ierem.23.v.39. Ecce omnino obliuiscar vestri.

Psal.9.v.19. Non in seculum in obliuione pauper erit.

Seneca de beneficijs, lib.7.ca.22. Errat, inquit, si quis existimat: cùm dicimus, eum qui beneficium dedit, obliuisci oportere, excutere nos illi memoriā rei præsertim honestissimæ. Quædam petimus vltra modum, vt ad verum & suum redeant. Cùm ergo dicimus meminisse nō debet: hoc volumus intelligi, prędicare nō debet, nec iactare, nec grauis esse. Et paulò pòst capite proximo: Cū dicimus, qui beneficiū dedit, obliuiscatur, hoc dicimus: similis sit oblito: memoria eius non appareat, nec incurrat. Hîc Seneca his verbis talium verborum troporum quæ sensum, aut affectum significant commodissimè ad metaphoram referri posse.

IN VERBIS SENSVS.

Videre pro frui est.

Psal.4.v.7. Qui faciat nos videre bonum.

Et pro pati.

Psal.16.v.10. Ne sinas sanctū tuū videre corruptionē. Sic videre dura, & videre mortem, Psal.89.49.

Audire pro intelligere.

4.Reg.18.v.26. Loquere ad seruos tuos Syriasce: Nā nos audimus: id est, intelligimus.

Et pro obedire.

Deut.11.v.42. Locutus sum, & non audiuistis, sed rebelles fuistis. Sed hæc metaphora etiam Latina est, vt non audit verbera currus: & in illo Terentij: Vni auscultem seni.

Gustare pro periculum facere.

Psal. 34.v.9. Gustate & videte quã bonus sit Dominus.

Prouerb. 31.v.v.8. Gustat quòd bona sit negociatio sua. Vnde & verbale gustus pro sensu & intelligentia est.

1. Sam. 22.v.13. Et mutauit Dauid gustũ suum, & insaniuit in manibus ipsorum.

Psal. 119.v.66. Bonum gustum & scientiam doce me.

Et gustare mortem.

Ioh. 8.v.52. Si quis sermonem meum seruat, non gustabit mortem æternam. Quomodo & Euripides loquitur in Phœnissis: γεύεσθαι κακῶν, gustare mala, & ἀγεύστος κακῶν, qui nihil mali expertus est.

IN VERBIS AFFECTVS.

Diligere & amare pro curare, iuuare, obseruare, & defendere est: odisse contrà pro negligere, contemnere, & alijs similibus est.

Malachiæ 1.v.3. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Pro, magis Iacobo, quàm Esau benefeci.

Prouerb. 13.v.8. Qui parcit virgæ, odit filium. Pro, negligit & malè instituit.

Luc. 14.v.26. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, non est me dignus. Pro, qui non Patrem negligit propter me cùm res postulat.

In verbis actionis pro studio & conatu.

Ezechiel. 24.v.13. Mundaui te, & non es mundata.

Actor. 7.v.26. Moses redegit seu compulit eos in concordiã. Pro, redigere conatus est. Sequitur enim, qui iniuriam faciebat, repulit eum.

Rom. 15.v.2. Vnusquisq; proximo suo placeat in bonum. Pro, studeat placere.

1. Cor. 10.v.32. Estote sine offendiculo Ecclesię Christi:

sti: sicut & ego per omnia omnibus placeo. Pro, placere studeo.

Galat. 1. v. 10. Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Pro, si placere studerem.

Et 5. v. 4. Facti estis inanes Christi, quicunq; per legem iustificamini. Pro, iustificari vultis.

In verbis facti pro dicto est, vt loquitur Linacer.

Exod. 13. v. 2. Sanctificabis mihi omne Primogenitũ. Pro, mandabis populo vt sanctificet.

Esa. 6. v. 10. Impingua cor populi huius, & aures eius aggraua: & oculos eius claude, ne fortè oculis suis videant, *&c.* Pro, denuncia & clama eos tales esse, ac tales futuros donec pereant. Nã v. 9. dicitur: Dic populo huic: vide Matth. 13. v. 15.

Ierem. 9. v. 9. Constituo te hodie super gẽtes & regna, vt euellas & destruas, vt ædifices & plantes. Pro, prædices, regna impia euertenda, & rursum aliquando ædificanda & restauranda.

Act. 10. v. 15. Quæ Deus purgauit, tu ne polluito. Pro, quæ Deus pura esse pronunciat: ea ne polluta dixeris: vt rectè hîc vetus vertit.

Gal. 3. v. 22. Conclusit Scriptura omnia sub peccatũ, vt promissio ex fide detur credentibus. Pro, lex omnes peccati accusat & damnat, ut ad misericordiam Dei cõfugiant. Et similis tropus apud Virgilium est Ecloga 6. in his verbis:

Tum Phaëtontiadas musco circumdat amaræ
Corticis: atq; solo proceros erigit alnos. Pro, canit circundatas, & erectas. Vide Linacrum lib. 2. in fine.

Et contra dictum pro facto est, & vocare seu appellare pro facere est.

2. Reg. 8. v. 1. Vocabit Deus famem super terram.

Psal. 105. v. 16. Cùm vocauerit famem super terram.

Ierem. 36. v. 39. Vocabo frumentum & multiplicabo illud.

Rom. 4. v. 17. Vocat ea, quæ non sunt, tanquam sint. Pro, facit vt sint.

Et vocari seu dici, pro Esse seu fieri.

Esa. 4. v. 3. Omnes in Israël residui sancti vocabuntur.

Et 47. v. 5. Non vltra vocaueris Domina regnorum.

Et 56. v. 7. Et Matt. 20. v. 13. Domus mea, domus precationis vocabitur omnibus populis.

Matth. 5. v. 13. Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur. Et v. 19. Qui soluerit vnum ex mandatis his minimis, minimus vocabitur in regno Cœlorũ: Qui autẽ fecerit & docuerit, is magnus vocabitur in regno Cœlorũ: id est, nullus erit, & particeps erit regni Cœlorum.

Luc. 1. v. 76. Tu Puerule Propheta altissimi vocaberis: id est, eris.

Rom. 7. v. 1. Si mulier se alteri iunxerit, viuente marito, adultera vocabitur. Pro est, vel fit.

1. Ioh. 3. v. 1. Videte qualem dilectionem dedit nobis Pater, vt filij Dei vocentur. Pro; simus.

Et sic etiã Homerus Iliados δ. v. 60. Locutus est, cùm ait, in persona Iunonis: —κοὐ ὄυνεκα σοὶ παρὰ κοίτις κέκριμαι: quoniam tibi, vel tua vxor vocor. Vbi Eustathius: Vocari, inquit, verbum non dubitationem significat: sed pro verbo Sum ponitur.

IN VERBIS SINGVLIS.

Aedificare pro creare.

Genes. 2. v. 22. Aedificauit Deus ex costa mulierem.

Et integrum restituere.

Ierem. 31. v. 1. Aedificabo te virgo Israël.

Et

Et ædificari pro florere.

Malachiæ 3.v.15. Etiam illi, qui faciunt iniquitatem, ædificantur.

Et apud Paulum pro iuuare, aut vtile esse.

1.Cor.10.verſ.24. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.

1.Theſſal.5.v.11. Aedificate vos mutuo. Pro, docendo iuuate.

Ambulare pro vitam instituere.

Pſal.119.v.1. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

Galat.5.v.6. Spiritu ambulate.

Epheſ.5.v.6. Vt filii lucis ambulate.

Induere maledictionem.

Pſal.109.v.8. Induet maledictionem, vt veſtimentum.

Et indui Pudore.

Verſ.29. Induantur Aduerſarii tui Pudore.

Induere Christum.

Galat.3.verſ.27. Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

Induere Nouum hominem.

Coloſ.4.v.24. Exuite veterem hominem, & induite nouum. Atque hoc ferè modo Virgilius locutus eſt:

—*cùm ſe nux plurima ſyluis* *Induit in florem.*

Occidere pro accuſare & reprehendere.

Oſeæ 6.v.6. Occidi eos verbis oris mei. In quo ineſt & hyperbole. Atque hoc modo & illud accipi poteſt 2.Cor.3.verſ.6. Litera occidit: Spiritus autem viuificat: Pro, lex accuſat & damnat homines: Euangelium autem conſolatur. Atque huic ſimile eſt aliquo modo illud Terentij in Adelphis: Occidunt me, dum nimis ſanctas nuptias ſtudent facere.

Stillare pro Docere, & Prophetare.

Ezechiel. 21.v.2. Pone faciem tuam cõtra viam auſtri, & ſtilla ad meridiem.

Amos 7.v.16. Ne prophetes contra Ieruſalem, & ne ſtilles contra domum Iſraël.

IN ADVERBIIS, vt,

Durè accipere, pro grauiter ferre.

Gen. 21.v.11. Durè accipit hoc Abrahã, & durè loqui.
Gen. 42.v.7. Locutus eſt nobis Dominus terræ duré.
Tit. 1.v.13. Increpa eos durè, vt ſint ſani.

Et durè agere.

2. Cor. 13.v.10. Ne cùm venero duriùs agam.

Grauiter, pro valde ſeu vehementer.

3. Reg. 22.v.34. Quia grauiter ſum vulneratus.

2. Eſtræ 9.v.7. Nos ipſi peccauimus grauiter. Sed hæc Metaphora etiam Latina eſt. Atque hic dignus eſt locus Ciceronis, vt obſeruetur, qui extat lib. 16. Epiſtola 17. Fam. ad Tironem: Heus tu qui κανὼν eſſe meorũ ſcriptorum ſoles, vnde illud tam ἄκυρον, valetudini fideliter inſeruiendo? Vnde in iſtum locũ fideliter venit? Cui verbo domiciliũ eſt proprium in officio. Migrationes in alienum locũ: Nam & doctrina & domus & ars, & ager etiã fidelis dici poteſt: ut ſit quomodo Theophraſto placet, verecunda tranſlatio.

METAPHORA CONTINVATA.

Allegoria ſeu inuerſio præcipuè in Metaphora eminet: & frequens eſt in Sacris literis. Quæ eſt comparatio qualitatis imperfecta: in qua membrum poſterius ſeu ἀπόδοσις ſeu interpretatio ipſa deſideratur. Comparatio enim plena duobus membris conſtat, & non tropus, ſed vt ita dicam, τόπος eſt, & argumentum logicum in Topicis

picis tradendum. Paul. Gal. 4. v. 22. voce ex allegoria deducta, vsus est. Vbi hæc, inquit, sunt ἀλληγορούμενα seu per allegoriam dicta.

Eiusmodi sunt hæc, Esa. 42. v. 3. Et Matth. 12. vers. 20. Arundinem quassatam non conteret, & linum fumigãs non extinguet. Pro, Christus non aspernabitur infirmos & imbecilles, in quibus aliquid bonæ spei est: sed hos fouebit potiùs quàm opprimet.

Oseæ 8. v. 7. Quia seminant ventum, turbinem metẽt. Pro, quia peccant, ideo punientur. Vel quia vana sunt opera eorum, ideo nullus fructus consequetur.

Matth. 7. v. 6. Ne detis quod sanctum est canibus: nec margaritas vestras coram porcis proieceritis. Pro, mysteria doctrinæ cœlestis non sunt promiscuè dignis & indignis prodenda. Vel doctrina Euangelii non est proponẽda contemptoribus verbi, Epicureis, & hypocritis.

1. Cor. 9. v. 9. Boui trituranti non obligabis os. Pro, docenti victum & stipendium non denegabis.

Galat. 6. v. 7. Quicquid seminat homo, hoc & metet. Pro, Qui egenis benefecerit, præmium à Deo recipiet.

Allegoria autem hominũ sermone trita Parœmia dicitur, seu Prouerbium.

Ezechiel. 36. Omnis qui vulgò prouerbiis vtitur: de te dicit illud: qualis mater, talis filia. Pro, peccatis.

Et cap. 18. v. 2. Cur vos hoc Prouerbio vtemini de terra Israël, Patres comederunt vuam acerbam, & filiorum dentes obstupuerunt. Pro, nos luimus peccata nostrorum maiorum.

Matth. 15. v. 14. Si cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadunt. Pro, stultus & indoctus Præceptor, stultos & indoctos Discipulos facit.

Et 23. v. 24. Colatis culicem, & deglutitis camelum.

Pro,

Pro, in minimis superstitiosi, in maximis negligentes estis.

Act.9.v.5. Durum est contra stimulum calcitrare. Pro, difficile est potentiori Deo præsertim repugnare.

1. Cor. 9.v. 6. Modicum fermenti totam massam fermentat. Pro, vnius improbi contagium multos inficit: vel vnus falsus doctor totum cœtum inficere potest: vel exiguum Iudaismi Euangelio mixtum totius fidei synceritatem corrumpit.

1. Pet. 2. v. 22. Accidit illis, quod verè prouerbio dici solet: Canis ad vomitum reuersus est, & sus lota ad volutabrum cœni.

Allegoria autem si minus trita, & obscura proinde sit, ænigma dicitur.

1. Reg. 10. v. 1. Quòd regina Scheba ad Solomonem venerit, vt eum ænigmatibus tentaret. Aenigma autem in Sermone vitium magis est quàm virtus, vt ait Fabius: Quare etiam hæc allegoria in Scriptura rarissima est. In historia Samsonis, Iud. 14. v. 14. vnicum ferè extat exemplum, quod ibi legatur.

PROSOPOPEIA.

Atque hactenus generalis Metaphora fuit, eius duæ species à Theologis factæ, & nominibus docendi causa distinctæ sunt, nēpe Prosopopeïa & ἀνθρωποπάθεια. Quæ ambæ ab homine sumptæ sunt.

Prosopopeïa est, cùm id, quod homini propriū est, ad res alias transfertur. Chrysostomus ad locum Pauli Rom. 8. v. 22. vbi dicitur res omnes & mundum ipsum expectare reuelationem Dei. Prosopopij, inquit, τῶν κόσμων: id est, mūdo personam tribuit, vt oratio maiorem vim & Emphasim habeat. Hæc ergo fit in substantiuis.

Sic

Sic populus seu gens de bestijs dicitur.

Ioël. 1. v. 6. Inuadit terram meam potens & innumerabilis gens. Loquitur enim de Locustis.

Sic exercitus.

Cap. 2. v. 25. Reddam vobis fructus, quos comederũt locustæ exercitus meus ingens.

Et tales sunt aliquot Prosopopeïæ.

Prouerb. 30. v. 25. Et hac Prosopopeia etiam Virgilius vsus est de apibus 4. Georg. cùm ait:

Magnanimosq́ue duces, totiusq́ue ex ordine gentis,
Mores & studia, & populos & prælia dicam.

Sic filius Bouis dicitur.

Exod. 29. v. 1. Tolle iuuencum vnum filium Bouis.

Et filius Asinæ.

Zacha. 9. v. 9. Sedens super asinum, & super pullum filium asinæ: vbi idem bis dicitur.

Sic filius Pharetræ.

Threnorũ 3. Fecit vt intrarent in renes meos filij pharetræ: Pro, Sagittæ.

Sic filiæ pro vrbibus minoribus ad metropolim pertinentes.

Esa. 40. v. 6. Et comburentur filii eius. Hoc tropo Pindarus appellat pluuiam nubis filiam.

Manus canis.

Psal. 21. v. 21. Erue à gladio animam meam, & è manu canis vnicam meam.

Manus flammæ.

Esa. 47. vers. 14. Non liberabunt animam suam de manu flammæ.

Manus gladij.

Iob. 5. v. 20. Redime me à manu gladij.

Præputium arboris pro fructu immundo.

Leuit. 19. v. 24. Tum circumcidetis præputium eius.

In Adiectiuis.

Huc referri possunt illa, quæ vulgo ad metonymiam effecti pro caussa inuolutè referuntur: vt,

Mors pallida apud Horatium. Item:

Pallentes habitant morbi tristisque senectus.

IN VERBIS.

Canticorum 1. v. 6. Nigra sum, quia sol me aspexit.

Iosuæ 24. v. 27. Ecce lapis iste erit testis fœderis: ipse enim audiuit omnia verba Iehouæ.

Psal. 98. v. 8. Flumina plaudent manu, & colles exultabunt: vbi etiam Augustinus Prosopopeiam agnoscit.

Et 65. v. 4. Pascua induant se pecudibus, & valles operient se frumento.

Deut. 32. v. 42. Inebriabo sagittas meas sanguine.

Psal. 106. vers. 9. Increpauit mare rubrum & exsiccatum est.

Nahun 1. v. 2. Obiurgat mare, & exsiccat illud.

Eiusmodi sunt hæc apud Virgilium:

——respondent omnia syluæ. Item:

Arctos Oceani metuentes æquore tingi.

Et apud Horat. *Amatque ianua limen.* Atque hoc genus Græci γλυκὺ: id est, suaue appellant.

Atque huc spectat Apostrophe ad res inanimatas.

Deut. 32. v. 1. & Esa. 1. v. 2. Audite cœli, quæ loquor, & audiat terra verba oris mei.

Malach. 6. v. 2. Audite mõtes expostulationẽ Iehouæ.

Psal. 24. vers. 7. Eleuate portæ capita vestra.

Et 68. v. 17. Vt quid exilitis montes excelsi.

Species

Species Prosopopeiæ est σωματοποιΐα, cùm id, quod hominis est, ad res incorporeas seu accidentia transfertur: & ipsis quasi corpus induitur.

Psal. 85. v. 11. Misericordia & veritas sibi mutuò obuiã venient: iustitia & pax se mutuò osculabuntur.

Et 30. v. 6. Vesperi pernoctabit fletus, sed manè reuertetur lætitia.

Prouerb. 8. v. 1. Nónne sapientia clamat: & intelligentia edit vocem.

Luc. 4. v. 39. Christus obiurgauit febrem: & illa demisit eam.

Ἀνθρωποπάθεια.

Ἀνθρωποπάθεια, cùm id quod hominis est ad Deum transfertur: qua nimium, vt ait Cicero, Homerus vsus est. Hæc ferè perpetua est, cùm Scriptura de Deo loquitur. Cùm enim Scriptura hominibus loquatur, pro captu humano loquitur. Homines autem aliter de Deo cogitare, aut intelligere, aut loqui nequeunt, quàm pro suo captu.

In Scriptura igitur Deo tribuuntur nomina officiorum humanorum: vt, Rex, Iudex, Dominus, Pater, Pastor.

Deinde membra humana: vt, facies vultus, oculi, aures, os, labia, brachia, manus, digiti, pedes, cor.

Item vestis: Arma, gladius, arcus, sagittæ, libri.

Præterea sensus humani: vt, Ignoratio, obliuio: Item affectus.

Pœnitentia: Amor, odium, lætitia, tristitia, ira, zelus.

Postremò actiones humanæ: vt, videre, audire, loqui, stare, sedere, ambulare, surgere, ascẽdere, descẽdere, vigilare, dormire. Quorũ exẽpla lectio quotidiana suppeditabit. Hæc cùm Andiani sine tropo acciperent: ab alijs ἀνθρωπομορφῖται dicti sunt: de quibus vide Augustinum libro de Heresibus cap. 50. Atque hactenus Metaphora fuit.

QVARTVS TROPVS SYNECDOCHE.

Synecdoche, est tropus, cùm ex parte totum, aut contrà significatur: & fit ferè in solis substantiuis.

Pars est membrum vel species.

Synecdoche membri est, quãdo membrum pro integro ponitur: vt, Membra hominis pro homine.

Sic anima pro homine est.

Gen. 12. v. 5. Tulit Abraham animas, quas sibi acquisiuerat in Haram. Pro, homines seruos & liberos.

Et 26. v. 15. Omnes animæ filiorum eius, & filiarum eius fuerunt triginta tres.

Et v. 18. Peperit ipsi Iacob decem animas.

Ezech. 18. v. 4. Anima quæ peccauerit, ipsa moriatur.

Act. 2. vers. 4. Et accesserunt ad fidem circiter ter mille animæ.

Rom. 13. v. 1. Omnis anima sit subiecta potestati.

Atque sic etiam Græci & Latini interdum locuti sunt, Sophocles in Oedipo Colonio: Sufficere, inquit, existimo, si pro multis vna anima hæc perficiat, quæ beneuola sit, & Horat. lib. 1. serm. Satyra quinta:

Postera lux oritur multò gratissima: namque
Plocius & Varius, Sinuessæ, Virgiliusque
Occurrunt animæ, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me sit deuinctior alter.

Tale & illud Persei esse videtur Satyra secunda:

O curuæ in terras animæ & cœlestium inanes.

Et illud Ciceronis: Vos meæ carissimæ animæ sæpissimè ad me scribite.

Corpus etiam pro toto homine est.

Exod. 21. v. 3. Si cum corpore suo venerit, cum corpore suo exibit. Pro, si ipse solus vel secum venerit: si solus venerit, solus sine vxore exibit.

Rom.12.v.1.Precor vt ſiſtatis corpora veſtra hoſtias viuas Deo.Pro,vos ipſos totos.

1.Cor.6.v.20.An neſcitis corpora veſtra membra eſſe Chriſti.Pro,vos ipſos.

Iacobi 3.v.16.Lingua maculat totum corpus.Pro,totum hominem.

Sic & Græci loquuntur, & corpus pro homine dicunt: vt,

Aedificare domos, & paſcere corpora multa
Ad paupertatem proximus eſt aditus.

Sic & Virgilius de Ceruis loquens 1. Aeneid. hac voce eſt uſus:

Nec priùs abſiſtit, quàm ſeptem ingentia Victor
Corpora fundit humi.

Et pars corporis ſimilaris pro toto eſt: ſic caro primùm pro corpore hominis eſt.

Geneſ. 17.v.13. Erit pactum meum in carne veſtra. Pro,in corpore veſtro.

Prouerb. 14.v.30. Vita carnium ſanitas cordis.

Ioh.6.v.51.Panis,quē ego dabo, caro mea eſt: quam dabo pro mundi vita.Pro quo dicitur,Luc.22.v.19.Hoc eſt corpus meum,quod pro vobis datur.

2.Cor.7.v.1.Purgemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.Pro, corporis & animi.

Secundò pro toto homine caro eſt.

Geneſ.6.v.12.Finis omnis carnis venit corā me: quia omnis caro corrupit viam ſuam.

Pſal.56.v.5.Deo fidam non timebo, quid faciat mihi caro:ſequitur verſu 8.Quid faciat mihi homo.

Eſa.40.v.5.Omnis caro fœnum.

Matth.24.v.22. Niſi abbreuiarentur dies illi, non fieret ſalua vlla caro.

Ioh.1.v.14.Et Sermo caro factus est.Pro,filius Dei homo factus est.

Rom 3.v.20.Ex operibus Legis non iustificabitur ulla caro.

Tertiò pro toto animali caro est.

Genes.6.1.v.17.Interficiam omnem carnem, in qua sit spiritus vitæ sub cœlo.Pro,omne animal.

Leuit.17.v.14.Sanguinem cuiuscunq; carnis, non comedetis.Pro,sanguinem nullius animalis comedetis.

Psal.136.v.26. Qui dat escam omni carni.

Sanguis pro homine est.

Psal.94.v.21. Congregant exercitum contra animam iusti,sanguinem innocentem condemnant. Pro, hominem innocentem.

Matth.16.v.17.Beatus es Simon,quia caro & sanguis non reuelabit hæc tibi. Sequitur enim, sed Pater meus qui in cœlis est.

Et 27.v.4.Peccaui,prodens sanguinem innocentem. Pro, Christum innocentem.

Et pars dissimilaris pro toto homine est.

Primùm caput.

2.Reg 2.v.3.An non nosti,quòd Iehoua tollet Dominum tuum à capite tuo.Pro, à te.

Prouerb.4.v.9. Sapientia dabit capiti tuo augmentū gratiæ.Pro, ornabit te, & augustiorem te reddet.Sequitur enim & coronam decoram dabit tibi. Atq; sic etiam Terentius loquitur,lepidum caput.

Os pro homine est.

Psal.17.v.10. Os eorum loquitur superbiam. Pro,ipsi loquuntur.

Et Psal.30. Os iusti meditatur sapientiam. Pro, iustus.

Prouerb.8.v.13.Os bilingue detestor,Pro,hominem bilinguem.

Oculus

Oculus pro homine est.

Prouerb. 22. v. 10. Benignus oculus benedicetur: quòd de pane suo dat pauperi. Pro, homo beneficus.

Deut. 15. v. 10. Caue ne sit malignus oculus tuus in fratrem mendicum, vt non des ei. Pro, ne tuipse nimis sis malignus.

Matt. 20. v. 15. Num oculus tuus malus est, quòd ego sum bonus. Pro, num tu alijs meam bonitatē inuides.

Cor pro homine est.

Deut. 15. v. 11. Dando dabis ei: neq; malignū erit cor tuum. Pro, ipse ne eris malignus.

Ezechiel. 20. v. 6. Quia post idola sua cor eorum graditur. Pro, ipsi gradiuntur.

Et 33. v. 31. Post auaritiam suam cor eorum ambulat.

Et pars rei pro re tota est.

Sic porta seu, portæ pro vrbe sunt.

Genes. 22. v. 27. Et cap. 20. v. 60. Semen tuum possidebit portas inimicorum tuorum. Pro, vrbes.

Deut. 16. v. 5. Non poteris sacrificare Pascha in qualibet porta tua. Pro, in qualibet vrbe.

Et v. 18. Iudices & Præfectos cōstitues in omnib. portis tuis, quas dabit tibi Deus. Pro, in omnibus vrbibus.

Psal. 87. v. 2. Diligit Dominus portas Syon.

Sic Syon pro tota Ierusalem est.

Psal. 69. v. 36. Saluam faciet Iehoua Syon: id est, Ierusolymam.

Et 87. v. 2. Diligit Dominus portas Syon.

Esa. 2. v. 3. De Syon exibit lex, & verbum Domini de Ierusalē: vbi tropi interpretatio sequitur. Bis. n. idē dicitur.

Micheæ 3. v. 12. Propter vos Syon, vt ager arabitur, & Ierusalem in aceruos lapidū redigetur, vbi rursum bis idem dicitur.

Sic

Sic Ierusalem & Iuda pro tota regione & gente.

Esa.1.v.1.Visio Esaiæ,quā vidit super Iuda & Ierusalem.

Oseæ 4.v.15.Si peccat Samaria,saltē ne delinquet Iuda.

Synecdoche speciei,cùm species pro genere est. Atq; hæc cū Metaphora aliquo modo cognata est: præsertim cùm genus & species nimis procul distant: nam cùm species generi vicina est, Synecdoche perspicua est.

Sic species hominis pro genere est: vt Vir pro homine vtriusq; sexus.

Psal.112.v.1.Beatus vir,qui timet Dominum.

Sic nomina quædam cognationis specialia: vt, Pater, frater, filius,& similia generaliùs accipi solent: vt,

Pater pro Maioribus.

Psal.22.v.4.In te sperauerunt Patres nostri.

Et 106.v.5.Peccauimus cum Patribus nostris.

Frater pro cognatis & consanguineis.

Iudicum 9.v.1.Abijt ad fratres matris suæ: id est, cognatos matris.

1.Paralip.12.v.29.De filijs Beniamin fratribus Saulis,

Matth.12.v.47. Et dixerunt ad Christum: Mater tua, & fratres tui stant foris.Pro, cognati tui.

Et de Minoribus.

Genes.14.v.12.Et audiuit Abraham, quòd captus esset Loth frater suus. Vbi Loth frater Abrahami appellatur, qui fuit filius tantùm fratris Abrahami, vt dicitur cap.12.v.5.

Filij pro Posteris.

Ierem. 30.v.29.Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Pro, Maiorum peccata luunt posteri. Et in his cùm dicitur filius Israël Exo.1. v.7.Filij autem Israël creuerunt.

Num.21.v.24.Et percussit filios Amon.Atq; hoc modo

do

do Christus filius Dauidis dicitur Matth. 22. v. 42.

Et in proprijs nominibus pro appellatiuis.

Ezechiel. 14. v. 14. & v. 20. Si fuerint tres viri in medio eius, Noë, Daniel, & Iob: ipsi iusticia sua liberabunt animam suam. Pro, si fuerint aliqui homines iusti, similes Noë, Danieli, & Iobo.

1. Cor. 3. v. 6. Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus dedit incrementum. Pro, ministri verbi tantùm plantant & rigant: sed Deus dat incrementum. Sequitur 11. cap. 4. v. 6. Hæc per figuram transtuli ad meipsum, & Apollo propter vos, vt in nobis discatis de vobis non sentire supra id, quod scripsi, vt ne alius aduersus alium inflemini.

Et species rei pro genere est.

Sic panis pro quouis cibo & omni victu est.

Genes. 3. v. 19. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Pro, magno cũ labore & difficultate parabis tibi victũ.

1. Sam. 14. v. 24. Maledictus vir, qui comederit panẽ vsq; ad vesperum. Et in oratione Dominica dicitur: Panẽ nostrum quotidianum, &c.

Et panis & aqua pro omnibus rebus ad vitam necessarijs sunt.

Esa. 33. v. 16. Panis eius dabitur illi, & aquæ eius stabiles erunt.

Dies est pro tempore sæpissimé.

Psalm. 102. v. 12. Dies mei sunt sicut vmbra: & ego vt herba aresco. Pro, tempus vitæ meæ.

Et 103. v. 5. Hominis dies, ut herbæ dies sunt.

4. Reg. 20. v. 1. In diebus illis ægrotauit Ezechias.

Matt. 2. v. 1. Cùm natus esset Iesus in diebus Herodis.

Vita & mors, pro bono & malo, seu felicitate & infelicitate.

Deut. 30. v. 15. Ecce pono hodie coram te vitã & bo-

num: & mortē & malum: vbi Synonima locum siue Tropum interpretatur.

Et v. 19. Propono tibi vitam & benedictionē: & mortem & maledictionem. Vbi rursum Synonima Tropum interpretatur.

Psal. 30. v. 6. Momentum est in furore eius: vita in voluntate eius.

Exo. 10. v. 17. Orate pro me Iehouam, vt auferat à me mortē istā. Pro, malū istud. Loquitur enim de locustis.

Sic pax pro bono seu felicitate est.

Psalm. 113. v. 165. Pax multa est diligentibus Legem tuam, & non est illis offendiculum. Pro, bona multa proposita sunt.

Esa. 32. v. 17. Erit opus iusticiæ Pax. Pro, præmium iusticiæ felicitas.

Et 48. v. 22. Non est Pax impijs.

Rom. 2. v. 10. Gloria, honor & Pax omni operāti bonū.

Iacobi 3. v. 18. Fructus iusticiæ pax seminatur facientibus pacem.

Sic in Salutationibus.

Genes. 43. v. 23. Et respondit Ioseph.

Et in benedictionibus seu faustis precationibus.

Num. 6. v. 26. Attollat Iehoua faciem suam super te, & det tibi pacem. Cuiusmodi & Paulinæ salutationes & precationes sunt.

Rom. 1. v. 7. Gratia sit vobis & Pax à Deo Patre, *&c.*

Specialiter hæc Synecdoche fit in numero.

Species numeri certa, pro multitudine seu multis est, vt duplicia pro multis.

Esa. 40. v. 2. Suscipiet de manu Iehouæ duplicia pro peccatis suis. Pro, multa beneficia à Deo percipiet pro calamitatibus, quas propter peccatum tulit.

Et ſeptem frequentiùs.

Leuit.4.v.6.Intinget Sacerdos digitũ in ſanguine, & aſperget ſeptẽ vicibus corã Iehoua. Pro,multis vicibus.

Prouerb.26.v.25. Cùm te blandè compellat, ne credas ei, quoniam ſeptem abominationes ſunt in corde eius.Pro,multæ.

Eſa.4.v.1. Et apprehendent ſeptem mulieres virum vnum.Pro,multæ.

Ierem.15.v.9.Eneruata eſt, quæ peperit ſeptem. Pro, multos liberos: id eſt, populus multus redactus eſt ad exiguum numerum.

Ezechiel.39.v.12. Et ſepelient eos ſeptẽ menſibus,vt mundent terram. Pro, multis menſibus: q.d. tantus erit cęſorum numerus,vt paucis menſibus ſepeliri nequeãt.

Et Aduerbialiter.

Leuit.26.v.18. Percutiam vos ſepties propter peccata veſtra.Pro ſæpè & multis plagis.

Pſal.12.v.8. Eloquia Iehouæ ſunt eloquia munda, vt argentum purgatum ſepties.Pro, ſæpé.

Et 119.v.164.Septies quotidie laudo te.Pro,ſępè vel ſemper:vt Tyconius regula quinta apud Auguſtinũ interpretatur.

Prouerb.24.v.16.Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit.Pro,ſępè periclitatur, ſed nõ prorſus euertitur, Deo eum cuſtodiente.

Et ſeptenarius diuiſus eodem modo vſurpatur.

Iob.5.v.19. In ſex anguſtijs eruet te,& in ſeptima non tanget te malum. Pro, in multis anguſtijs, aut potiùs omnibus Deus tibi aderit.

Amos 1.v.3. Propter tres præuaricationes Damaſci, & quatuor nõ parcam ei: id eſt,propter multas & varias præuaricationes non parcam Damaſco.

Vt autem ſeptenarius multitudinem ſignificat. Ita ſeptuplicatio pro ingenti numero accipitur.

Gen.4.v.24. Septuplũ vindicabitur Cain, at Lamech ſeptuagies ſepties.

Matth.18.v.22. Non dico tibi vſq; ſepties, ſed vſq; ſeptuagies ſepties.

Decem pro multis.

Geneſ.31.v.7. Mutauit mercedem meam decem vicibus. Pro, pluribus vicibus.

Eccleſiaſtæ 7.v.20. Sapiẽtia roborat ſapientẽ, magis quàm decẽ potẽtes, qui ſunt in vrbe. Pro, multi potẽtes.

Centum pro multis.

Eccleſiaſtæ 6.v.2. Si genuerit homo centum liberos, & annos multos vixerit. Pro, multos liberos.

Et 8.v.12. Quamuis peccans faciat malum cẽtum vicibus. Pro, multis vicibus.

Mille pro multis.

Ioſuæ 22.v.14. In millibus Iſraël erant ſinguli principes familiarum. Pro, in populo Iſraël, cuius magnus erat numerus.

Pſal.119.v.72. Diligo iudicia tua magis quàm millia auri, aut argenti. Pro, multos & magnos theſauros.

Et decem millia pro multis.

Pſal.3.v.6. Nõ timebo à decem millibus populorum, qui circumquaq; caſtra ponũt aduerſum me. Pro, à multis populis non timebo.

Et mille millia.

Geneſ.24.v.60. Et ſic in millia millium.

Et decem millia millium.

Num.10.v.36. Reuertere Iehoua ad decem millia millium Iſraëlis. Pro, ad populum Iſraël, cuius magnus eſt numerus.

Et

Et sic Latini sexcenta pro multis dicunt.

Cic. 2. de Diuinat. Sexcenta licet eiusmodi proferre, Et Terẽt. in Phor. Sexcẽtas proinde scribito poti⁹ dicas. Et Hesiodus: Trecenta ligna in plaustro esse dixit. Pro, multis, vt Galenus de Placitis Hippocratis & Galeni interpretatur.

Et quædã Aduerbia temporis specialia generaliter accipiuntur, nempe Hodie, Heri, Cras.

Hodie pro præsenti tempore est.

Deut. 27. v. 9. Ausculta Israël, hodie factus est populus Iehouæ Deo tuo.

Iosuæ 22. v. 16. Quæ est ista præuaricatio, vt auertamini hodie à Iehoua.

Psal. 95. v. 8. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Esa. 58. v. 4. Ne ieiunetis posthac sicut hodie, vt audiatur in excelso vox vestra.

Oseæ 4. v. 5. Corrues hodie, & corruet Propheta tecũ.

Atque sic etiam Latini interdum loquuntur.

Terent. in Eunucho: O populares ecquis me viuit hodie fortunatior.

Et Cic. pro domo sua: Hodieq; Volaterani non modò ciues, sed optimi ciues priuantur nobiscum simul ciuitate.

Heri pro tempore præterito, seu antè seu priùs est.

Micheæ 2. v. 8. Et heri populus meus, tanquam hostis insurgit. Pro, qui antè populus meus fuit: nunc hostis meus factus est.

Hoc autem sensu sæpiùs dicitur heri & nudiustertius.

Genes. 31. v. 2. Non erat sicut heri & nudiustertius.

Exod. 5. v. 7. Si bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius.

Deut.4.v.42. Si homicida non oderit eum heri & nudiustertius.

2.Sam.3.v.17.Etiam heri, etiam nudiustertius quæsiuistis Dauidem, vt esset super vos. Pro, iam antè quæsiuistis.

Et heri pro nuper seu paulò antè.

2.Sam. 15.v. 20. Heri venisti, & hodie excitabo te, vt eas nobiscum.

2. Reg. 9.v.26. Nisi sanguinem Naboth viderim heri, dicit Iehoua. Pro, memor ero sanguinis Nabothi nuper effusi.

Iob 8.v.9. Ab heri sumus. Pro hesterni sumus, seu nuper nati, & breui rursum morituri. Atq; hoc sensu Græci ferè dicunt: χθὲς καὶ πρώην: id est, heri & nudiustertius pro tempore nuper elapso. Vide Chiliades Erasmi.

Cras pro futuro, vel post, vel olim.

Exod. 13.v.14. & Deut.6.v.20. Cùm interrogauerit te filius tuus cras.

Iosuæ 4.v.6. Vt sit signũ hoc in medio vestri, cùm cras interrogauerint filij Patres suos, *&c.*

Et 22.vers.24. Cras dicent filij vestri filiis nostris. Tale & illud Horatij esse videtur: *Quid sit futurum cras fuge quærere.* Et Plautus: Quæ cras venerit, deinceps feretur foras.

Sic & dies crastina.

Gen.20.v.33. Et testificabitur de me iustitia mea dies crastina. Pro, imposterum.

Matth.6.v.34. Ne sitis solliciti de crastino: Nam crastinus dies erit solicitus de rebus suis.

Et tempus per Aduerbia donec & vsque determinatum interdum sequens tempus omne includit: ac proinde pro semper aut nunquam.

Pro

Pro Semper.

Psal. 110. v. 1. Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Esa. 46. v. 4. Vsque ad senectam Ego sum vobiscum, & vsque ad canitiem ego vos portabo.

Pro Nunquam.

Gen. 8. v. 7. Coruus non est reuersus donec siccarenter aquæ.

1. Sam. 15. v. 15. Samuel non vidit Saulem, vsque ad diem mortis.

Matth. 1. v. 25. Nō cognouit illam, donec peperit primogenitum suum.

Et cap. 5. v. 26. Non exibis illinc, donec persolueris extremum quadrantem.

SYNECDOCHE TOTIVS.

Sequitur Synecdoche totius, in qua frequens est hyperbole. Estque duplex, integri & generis.

Integri cùm integrum pro membro est. Sic Persona primum integra pro parte, vel anima vel corpore frequentissimè est, præsertim cùm de mortuis mentio fit.

Pro Anima.

Lucæ 16. v. 13. Et diues apud inferos sublatis oculis suis vidit Abrahamum procul: & Lazarum in sinu eius. Vbi diues, Abrahā, Lazarus est pro anima diuitis, Abrahami, Lazari.

Et 23. v. 43. Et dixit Iesus ad latronem: Hodie mecum eris in Paradiso. Pro, anima tua mecum erit.

Pro corpore, vt cùm homo sepeliri dicitur.

Genes. 23. vers. 19. Et sepeliuit Abraham Sara vxorem suam. Pro, corpus seu cadauer vxoris Saræ suæ.

Matth. 8. v. 22. Sine vt mortui ſepelient ſuos mortuos. Pro, mortuorum cadauera.

Iohan. 11. v. 34. Et dixit Ieſus: Vbi poſuiſtis eum? Pro, corpus eius.

Sic Ieſus ſeu Dominus pro corpore Ieſu ſeu Domini eſt.

Iohan. 19. verſ. 42. Ibi propter paraſceuen Iudæorum, quod propè eſſet monumentum, poſuerunt eum.

Et cap. 20. v. 2. Suſtulerũt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eũ. Pro, quo verſu 12. corpus Ieſu dicitur.

Et Luc. 24. v. 3. dicitur: Nõ inuenerũt corpus Domini.

Sic Auguſtinus de Principijs Dialecticæ: Ex toto, inquit, pars intelligitur: vt cùm Tullius cadauer illius dicitur.

Deinde res tota præſertim locus pro parte rei ſeu loci eſt. Atq; hîc etiam metonymia loci pro locato accidit frequenter.

Sic mundus, ſeu orbis, ſeu terra pro magna vel certa aliqua parte mundi, orbis aut terræ eſt.

Mundus.

Iohan. 12. v. 19. Et dixerunt Phariſæi inter ſeſe: Videtis nos nihil proficere. Nam mundus Eum ſequitur. Pro, magna pars mundi: id eſt, hominum ſeu Iudæorũ magna multitudo ipſum ſequitur.

Rom. 4. v. 13. Non per legem promiſſio ceſſit Abrahę, vt eſſet hæres mundi. Pro, Iudææ, ſeu terræ Promiſſæ.

Et 1. v. 8. Gratias ago Deo de vobis, quòd fides veſtra annũciatur in toto mũdo. Pro, paſſim apud Chriſtianos.

1. Iohan. 5. v. 19. Mundus totus in maligno poſitus eſt. Pro, magna pars mundi ſeu hominum.

Orbis.

Eſa. 13. v. 11. Viſitabo ſuper orbem terrarum. Pro, ſuper imperium Babylonicum.

Et 14.

Et 14.v.17. Posuit rex Babel orbem quasi desertum. Pro, magnam orbis partem à se subactam.

Et 24.vers. 4. Destructa est terra, ruit orbis. Pro, Iudæa ruit.

Luc. 2.v.1. Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt censeretur totus orbis. Pro, prouinciæ orbis Romano imperio subiectæ.

Act. 24.v.5. Inuenimus hunc hominem mouentem seditionem omnibus Iudæis per vniuersum orbem. Pro, passim in ijs locis vbi degunt Iudæi.

Quomodo & illud quidam accipiunt. Act. 11.v.18. Agabus significauit per spiritum magnam famem futuram in toto terrarũ orbe. Atq; sic etiã Latini loquuntur. Cic. Epistol. 46. Fam. Res vides, quomodo se habeat, orbem terrarum distributis imperijs ardere bello: vbi orbem terrarum dixit pro imperio Romano. Et Epist. 64. Sed scito ea, quę nos pro salute Reipub. gessimus, orbis terræ iudicio comprobari. Pro, multorum hominum præsertim Romanorum.

Et Ouid. 1. de Arte:

Nempe ab utroque mari iuuenes, ab utroque puellæ
Venêre: atque ingens orbis in urbe fuit.

Terra pro parte terræ.

Genes. 41.v.57. Et omnis terra venit in Aegyptum ad emendum frumentum. Pro, Palæstina, seu Syria & alia loca Aegypto vicina.

2. Sam. 15.v.23. Et omnis terra fleuit. Pro, omnis Iudæa fleuit, qui Dauidem fugientem sequebantur.

2. Paralip. 22.v.12. Et Italia regnabat super terram Iudæam. De qua Synecdoche etiã Hieronymus cap. 5. Esa. loquitur, & notat Scripturæ morem esse, nomine totius terræ vocare eam tãtùm Prouinciam seu Regionem, de

qua ſermo eſt. Quòd quidam, inquit, ignorantes ad totum terrarum orbem trahunt.

Sic & Regnum, Regio, & Ciuitas, pro magna regni, regionis, & ciuitatis parte eſt.

4. Reg. 32. verſ. 3. Et omne regnum Senacherib erat cum eo.

Matth. 3. v. 5. Tunc exiuit ad eum Hieroſolyma, & tota Iudæa, & tota regio Iordanis. Pro, magna pars hominum ex Hieroſolyma, Iudæa, & regione Iordanis.

Et 8. v. 34. Et tota ciuitas obuiam exiuit Ieſu. Pro, magna pars ciuium.

Matth. 1. v. 33. Omnis ciuitas erat congregata ad Ionam. Pro, multi ex ciuibus.

Synecdoche generis.

Synecdoche generis eſt, cùm genus pro ſpecie ponitur, eaque ferè inſigni, quod Græci κατ' ἐξοχὴν appellant, hoc modo: Primus vox generalis pro ſpeciali eſt. Atque hîc rurſum cùm genus à ſpecie nimis procul diſtat: Metaphora appellari poteſt.

Sic creatura pro homine eſt.

Marci 16. v. 15. Prædicate Euãgelium omni creaturę: Pro, omni homini.

Coloſſ. 1. v. 23. Euãgelium prædicatum eſt omni creaturæ ſub cœlo. Pro, multis paſſim hominibus.

Sic viuens ſeu animal pro homine eſt.

Gen. 3. v. 20. Et Adam appellauit Vxorẽ ſuam Euam, quòd eſſet mater omnium viuentium. Pro, omnium hominum.

Sic flumen ſæpè pro Euphrate eſt.

Gen. 31. v. 21. Fugit itaque Iacob, & tranſiuit flumen. Pro, Euphratem.

Ioſuę 24. v. 2. Trãs flumen habitauerũt veſtri à Seculo.

Pro,

Pro, olim in Mesopotamia trans Euphratem Abraham & Patres eius scilicet habitarunt.

1. Reg. 4. v. 2. A' flumine vsque ad terram Aegypti.

Sic bonum & malum pro felicitate & infelicitate, seu præmijs & pœnis sunt.

Deut. 30. v. 15. Vide propono tibi hodie vitam & bonum, & mortem & malum.

Sic malum seorsim.

2. Reg. 6. vers. 33. Hoc malum à Iehoua est. Pro, hæc afflictio.

Amos 3. v. 6. Non est malum in ciuitate, quod non facit Dominus. Pro, nulla est calamitas aut pœna peccati, quæ præter voluntatem Dei nobis accedit.

Et bonum pro beneficio est, vt malum pro maleficio seu iniuria.

1. Sam. 24. vers. 18. Tu retribuisti mihi bonum, vt ego tibi malum.

Et bonum seorsim specialius pro fructu terræ est: vt frumento, & aliis similibus.

Psal. 65. v. 12. Coronas annum bono tuo. Pro, fructus generis omnis.

Et 103. v. 4. Qui saliat bono os tuũ: id est, fructu terræ.

Esa. 1. v. 19. Bonum terræ comedetis.

Ierem. 2. v. 7. Vt comedatis fructum eius, & bonum eius: vbi Tropi interpretatio præcedit: bis enim idem dicitur.

Secũdò Nomina & Aduerbia quædã generalia sæpè specialiter per se etiã vsurpantur, cuiusmodi sunt primum omnis et nullus cum Synonymis. Ac omnis primum pro multis est.

Ac de hac significatione Augustinus lib. contra Iulianum 6. cap. 12. Omnis, inquit, pro multis: Et multi pro omnibus vsurpari in Scripturis sæpè solent.

Primum ergo pro multis incertis est, in Subiecto.

Genes. 24. v. 10. Omnia bona Abrahæ erant in manu eius. Pro, multa ex bonis præcipuis.

Et 33. v. 11. Donauit mihi Deus, & sunt mihi omnia. Pro, multa sunt mihi.

Psal. 1. v. 3. Omne quod facit, prosperè cadet. Pro, pleraque.

Ierem. 8. v. 6. Omnes conuersi sunt in cursum suum, Pro, plerique.

Matth. 21. v. 26. Omnes habent Iohannem quasi Prophetam. Pro, plerique ex Iudæis.

Philip. 2. v. 21. Omnes quę sua sunt, quærunt, non quæ sunt Christi. Pro, plerique.

In Prædicato.

Deut. 28. v. 64. Et disperget te Iehoua, in omnes populos. Pro, in multos.

1. Paralip. 14. v. vltim. Et emanauit nomen Dauidis in omnes terras, & Iehoua dedit timorem eius in omnes gentes. Pro, multas Iudææ vicinas.

Matth. 24. v. 9. Et odio eritis omnibus gentibus propter nomen meum. Pro, multis. (multa.

Luc. 17. v. 10. Sic & vos cùm feceritis omnia, *&c.* Pro,

Coloss. 3. v. 23. Euangelium prædicatū est omni creaturæ. Pro, multis hominibus. Atq; huc spectat cū omnis, pro quouis ac multis variorum generum.

Matth. 5. v. 11. Beati eritis cùm dixerint in vos omne malum. Pro, quoduis.

Omnis pro multis certæ quasi speciei in Subiecto.

1. Reg. 12. v. 18. Et omnes Israëlitæ lapidarunt eum. Pro, omnes, qui eo loco aderant.

Exod. 9. vers. 6. Omnia animalia Aegypti mortua sunt. Omnia scilicet quæ in agro erant, vt dicitur vers. 3.

Nam

Nam pòst Aegyptij multos equos & currus habebant.

Iudicum 20.v.9.Et omnes filij Israël egressi sunt, vt in Mispa conuenirent.Omnes scilicet præter Beniamin,vt dicitur versu 3.

Ierem.26.v.9.Tũ congregatus est omnis populus cõtra Ieremiã in domo Iehouæ.Omnis scilicet impius,qui ei fidem non habuit, præsertim sacerdotes impij & Pseudoprophetæ.Nam versu 11.& 16.dicitur: Quòd principes & totus populus Ieremiam defenderit. Atq; ex hoc loco Ambrosius ad Rom. 3.duplicem vniuersitatem fecit,nempe bonorum & malorum.

Matth.4.v.23. Sanans omnem languorem. Omnem scilicet sibi oblatum.

Marc. 9.v.23. Omnia sunt possibilia credenti.Omnia scilicet bona potest facere Christus credenti.

Et 28.v.19.Euntes docete omnes gentes. Omnes scilicet ad quas peruenire vobis liceret.

Ioh.14.v.13. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.Quicquid scilicet ad Dei gloriam & vestram vtilitatem & necessitatem spectat.

Rom.10.v.13.Omnis qui inuocat nomẽ Domini,saluus erit.Omnis scilicet inuocans in vera fide & perseuerat.Nam Matth.7.v.31.Exceptio additur:Nõ omnis,qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnũ cœlorũ.

1.Cor.6.v.12.Omnia mihi licent, sed non omnia conducunt.Omnia scilicet media seu adiaphora. Nam aliàs peccare nullo modo licet.

In prædicato.

Matth.6.v.15.Sic decet nos implere omnem iusticiã. Iusticiam omnem:id est,officium ad te & me spectans & pertinens,vt tu scilicet baptizes, ego abs te baptizer.

Et 23.v.3. Super Cathedram Mosis sedent Scribæ &

Pharisæi: omnia quæ iusserint vos seruare, seruate. Omnia scilicet quæ cathedræ & doctrinæ Mosis conueniũt.

Et v. 5. Pharisæi faciunt omnia opera sua, vt ab hominibus spectentur. Omnia scilicet quę religionis caussa & palàm faciunt.

Ioh. 12. v. 32. Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me. Omnia scilicet: id est, omnes credentes, qui trahentem sequi voluerint.

Et v. 6. Qui operatur omnia in omnibus. Omnia scilicet bona, in omnibus scilicet pijs.

1. Cor. 13. v. 32. Caritas omnia credit, omnia sperat, omnia suffert. Omnia scilicet credēda, speranda, ferēda.

Philip. 4. v. 13. Possum omnia per Eum, qui me corroborat. Omnia scilicet aduersa, pręsertim inopiã possum scilicet æquo animo ferre.

Colos. 1. v. 20. Vt reconciliaret sibi omnia per Christum. Omnia pro omnes credentes seu Ecclesiam. Atq; hîc interdum Subiectum excipitur, vt Paulus etiam ipse docet.

1. Cor. 15. v. 27. Cùm autem dicit, quòd omnia subiecta sint, palàm est, quòd excipiatur is, qui ei Christo omnia subiecit: q. d. Paulus: omnia subiecit Pater filio Christo præter sese. Cui simile ferè illud est Genes. 3. v. 20. Et Adam vocauit vxorem suam Euam: quòd ipsa esset mater omnium viuentium. Omnium scilicet præter sese & Adamũ. Cuiusmodi & illud Ouid. est de solo subiecto: -*& quod tegit omnia cœlum.* Omnia scilicet præter sese.

Sic nullus & nemo, quæ Hebraicè omnis nõ, & non quisquã etiam dicuntur: sunt pro paucis, certis & incertis.

Ierem. 8. v. 6. Nullus est, qui agat pœnitentiã mali sui. Pro, pauci sunt.

Matth. 9. v. 16. Nullus immittit panniculum impexum in

in vestimentum vetus. Pro, pauci hoc facere solent.

Ioh. 3. v. 32. Quod vidit & audiuit testatur. Et nemo testimoniũ Eius accipit. Pro, perpauci. Et 7. v. 13. Nemo palàm loquebatur de Christo. Pro, pauci.

1. Cor. 2. v. 8. Quam sapientiam nemo Principum seculi huius cognouit. Pro, pauci: nam Nicodemus pius fuit

Et Ioh. 12. v. 42. dicitur: Ex principibus multi crediderunt in Eum.

2. Cor. 5. v. 7. Cùm venissem in Macedoniam, nullam relaxationem habuit Caro mea. Pro, exiguam.

Et nihil pro parum aut exiguum est.

1. Sam. 25. v. 7. Nihil eis perijt, quã diu fuerunt in Carmelo. Pro, parum aut exiguum perijt.

Ioh. 18. v. 20. Nihil in occulto locutus sum. Pro, parũ.

Act. 27. v. 33. Dies hic decimus quartus est, quod ieiuni permanetis, nihil cibi capientes. Pro, parum. Nam vita sine omni cibo tamdiu durare non potuit.

Et certam speciem negat.

Exod. 12. v. 16. Nihil operis facietis in diebus infermẽtatis. Nihil operis, scilicet seruilis.

Num. 11. v. 6. Anima nostra arida, & nihil præter Man respiciũt oculi nostri. Nihil scilicet cibi. Aliàs enim & cœlum & terram & alia multa viderunt.

Matth. 10. v. 26. Nihil est opertum, quod non sit retegendum: & nihil occultum, quod non sit cognoscendũ. Nihil scilicet doctrinæ cœlestis & Euangelij.

Ioh. 15. v. 5. Sine me nihil potestis facere. Nihil scilicet boni, & spiritualium fructuum, vt eodem versu pręcedit.

2. Thess. 3. v. 11. Nihil operantes, sed curiosè agentes. Nihil scilicet vtile, & necessarium.

1. Timoth. 6. v. 4. Si quis non accedit sanis sacris Sermonibus

monibus Domini,*&c.*is turget,nihil sciens:nihil scilicet sanum & vtile.

Et Aduerbia quædam generalia specialiter accipiuntur.Præsertim temporis & loci,vt sunt semper, vbiq;,nunquã, *& similia.*

Semper pro sæpè aut diu est.Et interdum ad certum tempus restringitur.

Genes.27.v.41. Oderat ergo semper Esau Iacobum. Pro,diu,donec reconciliati sunt.

Exod.27.v.20. Et ardebunt semper lucernæ in tabernaculo:Semper scilicet cùm fixum transferebatur tabernaculum.

Et 28.v.30.Gestabit Aaron iudiciũ filiorum Israël super cor suum corã Iehoua semper. Semper scilicet quoties ingreditur tabernaculum corã Iehoua, vt versu eodem præcedit.

2.Sam.9.v.7.Tu comedes panem ad mensam meam semper:scilicet quoties comedo.

1.Reg.10.v.8.Beati viri tui, qui stant coram te, & audiunt sapientiam tuam semper.Pro,frequenter.

Psal.51.v.1.Peccatum meum coram me est semper. Pro,sępè de meo peccato cogito,& de eo doleo.

Prouerb.13.v.10.Inter superbos semper sunt iurgia. Pro,sępè & frequenter.

Luc.18.v.1.Dixit eis parabolam huc spectantẽ, quòd oporteret ipsos semper orare, nec segnescere. Pro, frequenter.

Et 24.v.53.Erantq; semper in templo laudantes & benedicentes Deum.Pro, frequenter.

Ioh.18.v.20.Ego semper docui in Synagoga & in tẽplo.Pro,sępè:nam & alibi etiam docuit Christus.

1.Cor.1.v.4.Gratias ago Deo meo pro vobis semper. Pro,sępé.

Sic

Sic & Latini loquuntur. Iuuenalis:

Semper habet lites, alternaq; iurgia lectus.
In quo nupta iacet, minimum dormitur in illo. Vbi in voce *minimum* Tropi interpretatio est.

Sic etiam Aeternum *&* Perpetuum *de longo tempore, & rei præsenti conueniente dicitur.*

Leuit. 25. v. 46. Si serui & alienigenę fuerint, opera eorum in æternum vtemini. Pro, si vultis, non necesse erit eos dimittere ad annum Iubilæum.

Deut. 15. v. 17. Si seruus fuerit frater tuus Iudæus, & noluerit à te discedere: tunc accipies subulam, & perforabis aurem eius in porta, & seruiet tibi in æternũ. Pro, quod vixerit.

1. Paralip. 15. v. 2. Leuitas elegit Deus, vt ministrent sibi vsq; in æternum. Pro, quoad durauerit regnum Iudaicum & Sacerdotium Aaronicum.

Esai. 34. v. 6. Et bestiæ possidebũt Idumęam & Bosram vsq; in æternum. Pro, diu desolata erit terra Edom.

Et 49. v. 33. Et erit Hasor habitaculum draconum, & solitudo vsq; in æternum. Pro, diu desolata erit, & hospitium præbebit draconibus & bestijs loca deserta incolentibus.

Daniel. 2. v. 4. Rex in æternũ viue. Pro, vtinã diu viuas.

Sic & Perpetuũ *&* Sempiternũ *pro diu vel diuturno est.*

Genes. 17. v. 8. Dabo tibi & semini tuo post te terram Canaam, in possessionem perpetuam. Pro, diuturnã: donec videlicet Messias natus fuerit.

Deut. 13. v. 16. Eritq; ciuitas euersa, tumulus perpetuus. Pro, diu vastata manebit.

Ierem. 25. v. 9. Ecce redigam Iudæam, & terras vicinas in stuporem, in sibilum, & solitudinem perpetuam. Pro, diuturnam: vbi mox solitudo ea spacio septuaginta an-

norum definitur.v.10. Et seruient regi Babel 70. annos.

Et v.12. Cùm autem impleti fuerint 70. anni, visitabo regem Babel: & terram Chaldęam, & redigam eam vicissim in solitudinem sempiternam. Pro, diuturnam.

Sic ferè Horatius locutus est:

Seruiet æternum qui paruo nesciat vti.

Quē versum etiā Augustinus, lib. 1. quęstionū super Genes. ca. 31. Pro exemplo huius significationis adducit: cū de loco Genescos ca. 17.v.8. quē modò citauimus agit.

Sic vbiq; pro passim est.

Marc. 16.v.2. Illi verò egressi prędicarunt vbiq; Domino cooperante. Pro, passim.

Luc. 17.v.30. Deus nunc annunciauit omnibus vbiq; hominibus, vt resipiscerent. (citur.

Et 28.v.22. De secta illa notū est, quod vbiq; cōtradi-

1. Cor. 4.v.17. Sicut vbiq; in omnib. Ecclesijs doceo.

Et Aduerbia negantia, vt nōnunquam, nusquam, non in æternum, & similia, quæ sunt, vt nullus, nemo, nihil. specialiter vsurpantur.

Non certam speciem negat.

Psal. 7.v.4. Nō est iniquitas à manibus meis: scilicet in Saulis caussa.

Ier. 7.v.13. Nō pręcepi vobis de sacrificijs: scil. cōmodè faciēdis cū opinione cult9 per se & sine officijs caritatis.

Matth. 11.v.18. Venit Iohannes neq; comedens, neq; bibens: scilicet cum quibusuis, aut quemuis cibum aut potum: vt Christus fecit. Erat enim ei peculiaris viuendi ratio, & à rebus vulgaribus abstinebat.

Ioh. 7.v.13. Neq; parentes eius peccauerunt: scilicet: vt hic ob peccata cæcus nasceretur.

1. Cor. 2.v.14. Animalis homo non est capax eorum, quę sūt spiritus Dei (id est, doctrina Euāgelij) scil. dū manet homo animalis. Nā antecedēte spiritu dei, eiusq; gratię fit capax.

Et

Et non pro rarò, difficulter, & vix est.

1.Reg.15.v.5.Dauid non declinauit ab vllo eorũ,quæ prçceperat ipsi Dominus, prçterquã in re Vriæ Hçthei. Pro, rarò & minimum declinauit: Nam & alia eius peccata leguntur,vt Numeratio populi.

Ita Ecclesiast.7.v.29.Virum rectũ ex mille vnum inueni:q.d.Pauciores sunt mulieres bonæ,quàm viri.

Et 11.v.4.Qui obseruat ventum nõ seminabit, & qui obseruat nubes, non metet.Pro,facilè seret & metet.

Luc.2.v.37.Ipsa vidua erat, & non decedebat à templo.Pro,rarò discedebat.Atq; hoc modo Erasmus in Paraphrasi & commentario emollit,& interpretatur locos illos de peccato in Spiritum Sanctum.

Matth.12.v.31.Et Mar.3.v.29. Quoduis peccatum & blasphemia remittetur hominibus.Blasphemia verò Spiritus nõ remittetur hominibus.Quçuis peccata remittẽtur filijs hominum,& blasphemiç quibuscunq; blasphemauerint: sed quicunq; blasphemauerit in Spiritum Sãctum,non habebit remissionẽ in æternum, *&c.* Pro, vix remissionem habebit, & veniam difficulter impetrabit.

Et 1.Ioh.5.v.16. Si est peccatum ad mortem, non iubeo vt pro illo roges.Pro,non temerè aut facilè,nisi pœnitentiæ signa euidentia videris.

Et sic Prophetæ etiam in vehementi cõminatione loqui solent,& veniam peccantibus denegare.

Ierem.11.v.14. Proijciam vos à facie mea, tu ergo ne ores pro populo isto:quia non exaudiam te.

Et 14.v.11.Et dixit Iehoua ad me:Ne ores pro populo isto in bonũ,qui cùm obtulerint holocaustũ & oblationẽ,nõ acceptabo. Pro, ægrè & difficulter exaudiam, & vix veniã à me impetrabunt. Nã Propheta v.20. In persona populi precatur:Agnoscimus,inquit,ô Iehoua impietatẽ nostrã. Item ne abijcias nos propter nomẽ tuũ, sed recordare populi tui.

Zachariæ 7.v.13. Quemadmodũ ego clamaui,& non audierunt:sic cùm illi clamauerint, Ego non exaudiam. Pro, vix exaudiam.

Sic & prohibendi, ne, *specialiter vsurpatur.*

Matth.5.v.34. Ego verò dico vobis ne omnino iuretis, ne scilicet temerè leuiter, & Phariſęorum more. Nã aliàs & Christus & Apostoli iurasse leguntur. Quare & Augustinus Epistola ad Publicolam, quæ numero 154. est, Hyperbolen: id est, Synecdochen audaciorem hîc esse existimat. Et Erasmus: Cum pueris, inquit, interminamur, ne natent, dicimus hyperbolicῶs ne nates: Nã si lacum aut mare aspexeris, occidam te. Cuiusmodi multa eodem capite apud Matth. & alibi passim apud Euangelistas sunt. Atq; hactenus de primo Elocutionis genere, quæ fuit in Tropis & vocibus singulis.

DE SECVNDO ELOCVTIONIS GENERE IN FIGVRIS.



EXposito primo genere elocutionis, sequitur vt de Figura secundo loco dicendum sit.

Est aũt figura Elocutio qua orationis habitꝰ à recta & simplici cõsuetudine mutatur. Vt enim Tropus est singularũ vocũ: sic figura est cõiũctarũ.

Figura igitur est Dictionis, aut Sententiæ. Dictionis qua elocutio figuratur dictionibus aptè & iucundè inter se resonantibus.

Figura autem Dictionis aut est in dimensione sonorũ aut repetitione.

Eas autem figuras ordine sine earũdem subtili distinctione nos recensere constituimus, quæ in sonorum repetitione sunt: cùm illæ, quæ in sonorum sunt dimensione raró in Sacris literis vsurpatę sint: & alibi à nobis oblata occasione tractabuntur.

DE

DE FIGVRIS DICTIONIS IN SONI REPETIONE, QVAE PLERVMque Emphasin habent.

I. E*Pizeuxis, subiunctio, cùm sonus idem continuè in eadem sententia iteratur.*

Exod. 34. v. 6. Domine Domine Deus.

Psalm. 66. v. 7. Benedicat nobis Deus, Deus noster.

Esa. 6. v. 3. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus.

Esa. 48. v. 11. Propter me, propter me, faciam ne blasphemer.

Matth. 7. vers. 21. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.

Et 26. Domine Domine aperi.

Et 23. vers. 37. Ierusalem Ierusalem quæ occidis Prophetas.

Iohan. 1. v. 51. Amen Amen dico vobis.

II. Anadiplosis Reduplicatio. Quando idem sonus repetitur in fine præcedentis & in principio sequentis sententiæ.

Psal. 145. vers. 18. Propè est Dominus omnibus inuocantibus, omnibus inuocantibus eum in veritate.

Philip. 2. v. 7. Factus est obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis.

III. Climax gradatio est anadiplosis compluribus gradibus continuata.

Hoseæ 2. v. 21. Tum exaudiam, inquit Iehoua, exaudiam cœlos, & ipsi exaudient terram: terra verò exaudiet vinum & triticum & oleum. Et hæc audient ipsum Israëlem.

Iohan. 1. vers. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, *&c.* In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, &

tenebræ eam non comprehenderunt.

Ad Rom. 5. verſ. 3. Oppreſſio patientiam efficit: patientia autem experiētiam: experientia verò ſpem. Spes autem non confundit. Quem locum Auguſtinus ipſe lib. 4. de doctr. Chriſtiana pro exēplo gradationis citat.

Rom. 8. verſ. 30. Quod prædeſtinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos iuſtificauit, hos & glorificauit.

Et 10. verſ. 14. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo credant ei, de quo non audiuerunt? Quomodo audiant ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt niſi mittantur?

2. Pet. 1. v. 5. Præſente in virtute ſcientiam, in ſcientia abſtinentiam, in abſtinentia patientiam, in patiētia pietatem, in pietate amorem fraternum, in amore fraterno charitatem.

IIII. Anaphora Relatio, quando dictio aut ſonus idem iteratur in principijs ſententiarum.

Pſal. 67. verſ. 6. Celebrabunt te populi, Deus: celebrabunt te populi omnes.

Et v. 7. & 8. Benedicat nobis Deus, Deus noſter: benedicat nobis Deus & metuant eum omnes fines terræ.

Et 118. v. 6. & 7. Iehoua mihi adiutor eſt, non timebo quod faciat mihi homo: Iehoua mihi adiutor eſt & contemnam inimicos meos.

Et v. 8. 9. Melius eſt ſperare in Iehoua, quàm ſperare in hominibus: melius ſperare in Iehoua quàm ſperare in principibus.

Et v. 16. Dextra Iehouæ excelſa eſt: dextra Iehouæ facit fortitudinem.

Pſalm. 148. & 150. Plerique verſus à verbo halelu ſeu laudate.

Et

Et Psal. 118. Toto, octoni semper versus ab iisdem alphabeti literis incipiunt.

V. Epiphora vel Epistrophe conuersio, cùm similis sonus in clausulis iteratur, cuius illustre exemplum est.

Psal. 135. Vbi in singulis versibus repetitur hæc clausula: Quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

VI. Simploce complicatio, cùm idem sonus in principiis & clausulis iteratur: quare hanc figurã Anaphoram & Epistrophen simul complectitur.

Dan. 3. In cantico trium puerorum circiter 35. exempla huius figuræ extant, vbi frequenter repetitur.

Benedicite Angeli Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

Benedicite cœli Domino, laudate & superexaltate eum in secula.

2. Cor. 9. v. 6. Qui seminat parcè, parcè & metet. Qui seminat copiosè, copiosè & metet.

VII. Epanalepsis Resumptio, cùm idem sonus sentẽtias incipit & finit.

Psal. 83. v. 2. Deus quis est similis tui. Ne facias neque conquiescas Deus.

Psal. 118. v. 7. Iehoua custodiat te ab omni malo, custodiat animam tuam Iehoua.

Ad Philip. 4. v. 4. Gaudete in Domino semper. Iterum dico gaudete.

Sic Sedulius:

Sola fuit mulier, patuit quam ianua leto,
Et qua uita redit sola fuit mulier.

VIII. Epanodos Regreßio, cùm sonus in principio et medio, vel medio & fine, vel omnibus his locis simul comprehẽditur.

Psal. 114. v. 3. Mare vidit & fugit, Iordanis conuersus

est

est retrorsum, montes exilierunt vt arietes.

Et v. 5. Quid est tibi mare quod fugisti: & tu Iordanis quod cõuersus es retrorsum, & vos mõtes cur exilijstis.

2. Cor. 2. v. 14. Odorem notitiæ suæ patefecit per nos. Nam Christi bonus odor sumus Deo, *&c.* His quidem odor mortis ad mortem: illis verò, odor mortis ad vitã.

Rom. 3. v. 21. Nunc sine lege, iustitia Dei manifestata est. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi.

IX. Paronomasia agnominatio seu adnominatio & aliàs parechesis, cùm dictio, literæ aut syllabæ alicuius commutatione, significatione etiam commutatur: ea autem frequens est in Sacris literis, præsertim Prophetis in ipsa lingua sancta maximé.

Atque hæc figura sæpè sentẽtias in Scriptura coniungit, quod qui nõ intelligunt seriem sentẽtiarum & caussam cohærentiæ, vt ignoret necesse est.

Gen. 18. vers. 27. Cœpi loqui cum Domino, qui sum: aphar & epher, puluis & cinis.

Exod. 32. v. 18. Non est vox Anath pugno, sed annath: id est, tripudij.

1. Sam. 1. v. 27. Et dedit mihi Dominus Scheala: id est, petitionem meam quam schaalti: id est, petij ab eo.

2. Par. 28. v. 11. Audite nos & Haschiuit: id est, reducite Haschibia captiuitatẽ, quã scheuatem captiuã duxistis.

Psal. 21. vers. 6. In te Bachu: id est, sunt confisi, & non Boschu: id est, non confusi.

Esa. 5. vers. 7. Expectaui vt vinea mea faceret Misphat: id est, iudicium, & ecce Misphat: id est, iudicium. Et ecce Mischbaepht: id est, iniquitas. Zedacha: iustitiam & ecce Saacha clamor.

Et 54. v. 8. Beschesepht chesepht: id est, in momento iræ abscondi faciem meam à te.

Et 61.

Et 61.v.1. Vt prædicem captiuis libertatem & vinctis pesach,coach: id est,apertionem carceris.

Et v.2. Vt prædicem diem Nacham: id est, vltionis,vt Nachem consoler, omnes lugentes.

Et 62.v.4. Terra tua vocabitur Beula: id est, maritata & viro nubet.

Et v.18.& 19. Creabo Ierosolyma Gila: id est,exultationem & populum eius Masos: quoniam Galti: id est, exultabo in Ierusalē, & Sasti: id est, gaudebo de populo meo.

Et 66.v.3. Qui offert oblationem, offert sanguinem chesy suæ seu porci: & Maschir qui recordatur thuris benedicit Iddo.

Et vers. 3.& 4. Ipsi Bacheru allegerunt vias suas: & ego ebschar eligam illusiones eorum.

Ierem.12.vers.12. Sama posuit, lismama in desolationem terram luxit.

2.Cor.5.v.6. ἐνδημοῦντες, dum sumus pręsentes in corpore. ἐκδημοῦμεν, peregrè absumus à Domino.

Ad Phil. 3.v.3. Cauete τὴν κατατομὴν circumcisionem: nos enim sumus peritumi circumcisi.

2.ad Thessal.3.v.11. Audimus quosdam versari inter vos inordinatè: id est, ἐργαζομένους nihil agētes, sed περιεργαζομένους inutilia agentes.

Fit autem peculiariter in visionibus & prophetijs.

Ierem.1.v.11. Et dixit Iehoua ad me: Quid vides Ieremia? & dixi, Video virgam Schached amygdali. Et dixit Iehoua ad me: rectè vides. Quia Scoched vigilabo super verbum meum vt faciam illud.

Et v.13. Et factum est verbum Domini ad me secundò dicens: Quid tu vides? & dixi: Ollam Naufaze bulliētem ego video, & facies ei⁹ à facie Saphona: id est, aquilonis.

Et v. 14. Et dixit Iehoua ad me ex Saphon aquilone Tippaſach pandetur omne malum.

Amos 8. v. 2. Et dixit: Quid tu vides Amos? & dixi: Caniſtrum chaijs: id eſt, fructũ æſtiuorum. Tum ait Iehoua ad me: Venit chetz: id eſt, finis ſuper populũ meũ Iſraël.

Fit & in proprijs Nominibus ſpecialiter & frequenter.

Gen. 2. v. Ita vocabitur Iſcha viriſſa: quoniam Deiſch: id eſt, viro ſumpta eſt.

Et 3. v. 20. Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ chaua: quòd eſſet mater omnis chai: id eſt, viuentis.

Et 4. v. 1. Et concepit & peperit Chain, tunc dixit Canici: id eſt, acquiſiui virum à Iehoua.

Et verſ. 26. Peperit filium & vocauit nomẽ eius Seth. Quoniam Seth: id eſt, poſuit mihi Deus ſemel pro Abel quem occidit Cain.

Et 5. v. 19. Appellauit nomen eius Madicẽs: quoniam ipſe Ienachẽ: id eſt, cõſolabitur nos de operibus noſtris.

Et 9. v. 27. Iapht, dilathet Ioiephet ſeu Iaphet.

Et 11. v. 9. Propterea vocatum eſt nomen eius Babel: quoniam ibi Babal confudit Iehoua labiũ omnis terræ.

Gen. 21. v. 3. & 6. Et vocauit nomẽ eius Iſaach: & dixit Sara Echoch: id eſt, riſum fecit mihi Deus. Quia non audiuerit hoc omnis, vnà mecum Iſchach: id eſt, ridebit.

Num. 18. v. 2. Etiam fratres tuos de tribu Leui adiunge tibi: & illauu: id eſt, adhærebunt tibi.

Ruth 1. v. 20. Nolite vocare me Noëmi, ſed vocate me mara: Quia hemar: id eſt, dolore affecit me Iehoua.

1. Paral. 22. v. 9. Ideo Schelomo erit nomẽ eius. Nam ſchalum: id eſt, pacem dabo ei.

Matth. 16. verſ. 18. Et ego dico tibi, Tu es Petrus: id eſt, vocaris. Et ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiam meã. Vbi Græcè ſaltim agnominatio eſt.

Et in Prophetijs.

Num.24.v.18. Et erit ſeir Ieriſca: id eſt, poſſeſſio hoſtium & Iſraël faciet chad: id eſt, virtutem.

Ierem.6.verſ.1. In thecoa thicheu: id eſt, buccina clangite.

Amos 5.v.5. Gilgal gabo: id eſt, migrando Igle: id eſt, migrabit, exulabit & Bethel. Pro, domus Dei erit Betauen: id eſt, domus doloris.

Micheæ 1.v.10. In domo Afra, aphar: id eſt, puluere te indues.

Mich. 12. Dolebit propter bonum amiſſum habitatrix Mabotz: quoniam Iaraut ra: id eſt, deſcendit malum à Iehoua.

Et 15. Addur Iores: id eſt, heredem, ſ. Regem Aſſyrium adducam tibi & habitatrix, Mareſcha: id eſt, hæreditatis.

Sic apud Augustinum.

Epiſt. 6. Ex hac vita quoſdam noſtros migrantes non miſimus, ſed præmiſimus.

Hieron. Tom. 1. Non es eius cui natus es, ſed cui Renatus es.

Et Tomo 8. Mutare quidpiam in transferēdo, non eſt vertentis, ſed euertentis.

Lactantius lib. 1. Non ergo ille furius, ſed planè furioſus fuit.

X. Poliptoton, cùm eadem vox mutato caſu aliquoties repetitur.

Gal.68.v.15. Mons Dei eſt vt mons Bazan: vt, Quid exilitis montes excelſi, mons iſte eſt quem deſiderat Deus inhabitare.

2.Corinth.10.v.12. αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετρόυντες, καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς, οὐ συνοῦσιν: id eſt, non intelligunt

quod ipsi sese semetipsis metiuntur & sese sibi ipsis com parant.

Ad Col. 1. v. 16. πάντα δι᾽ αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισαι, καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων, καὶ τὰ παντὰ ἐν αὐτῷ συνέστηκε: id est, Omnia per ipsum & in ipso creata sunt: Estque ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt. Vbi in voce πάντα & αὐτὸς Agnominatio est.

Tertullianus: Non est religionis cogere religionem quæ spontè suscipi debet non vi.

Gregorius: Omnes infirmi sumus, sed infirmior est qui suam infirmitatem nescit. Hactenus de figuris Dictionis: sequũtur figuræ Sentẽtiæ in Logismo aut Dialogismo.

DE FIGVRIS SENTENTIAE IN LOGISMO.

L*ogismus est, quando sine collocutione sententia figuratur.* Huius species sunt.

I. Exclamatio: Quæ fit per Aduerbium exclamandi expressum vel intellectum.

Psal. 8. v. 2. & 10. O' Iehoua Domine noster quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.

Eccles. 41. v. 1. O' mors quàm amara memoria tui, homini quieti, viuenti in bonis suis.

Ad Rom. 7. v. 21. Infœlix ego homo quis me liberabit à torpore mortis huius?

Et cap. 11. v. 33. O' altitudo diuitiarum & Sapientiæ Dei, quàm imperscrutabilia sunt iudicia & imperuestigabiles vitæ eius.

II. Epanortosis, correctio. Quæ est suiipsius reuocatio, qua id quod dictum est, quasi corrigitur.

Ad Galat. 3. v. 4. Tam multa passi estis frustrà, si modò tamen

tamen frustrà: quasi diceret, nō tantùm frustrà passi estis, sed etiam cum damno & detrimento.

III. *Aposiopesis, reticentia, qua sententiæ inchoatæ cursus ita reuocatur, vt inde pars eius aliqua non dicta intelligatur: fitq́;*

Primùm in Promissionibus: vt,

1. Paral. 4. v. 10. Si benedicēdo benedixeris mihi: subaudi, hoc vel illo modo, gratus ero.

Secundò in Comminationibus.

Exod. 23. v. 23. Si afflixeris pupillum: subaudi, te rursum affligam.

Tertiò in Querelis: vt,

Psal. 6. v. 4. Anima mea turbata est valde, sed tu Domine quousq;: subaudi, vel me affliges, vel auxilium tuum differs.

Luc. 19. v. 41. Videns ciuitatem fleuit super eā, & ait: Si cognouisses & tu & quidem hac die tua, quæ ad pacē tuam: subaudi, pertinent, ea curares.

Quartò in iuramentis caussa: hîc enim pœnæ imprecatio plerunq;, idq́; frequentiùs mali ominis omittitur.

Gen. 14. v. 23. Si accepero ex omnibus quæ tua sunt: subaudi, perdat me Deus, vel hoc faciat mihi Deus, & hoc addat & integra oratio expressa est.

1. Sam. 14. v. 44. & alibi.

Vide Ellipsin vocum coniunctarum seu orationis in Phrasibus.

IIII. *Apostrophe, auersio, cùm oratio ad aliam personam conuertitur quàm instituta oratio requirit, & præsertim ad secundam.*

Psal. 4. v. 3. Filij hominum quousq; gloriam in ignominiam vertetis.

Et Psal. 6. v. 4. Anima mea turbata est valde. Tu autem Domine quousq;.

Et 27.v.13. Credo me visurum bona Domini in terra viuentium. Expecta Dominum, viriliter age & conforte tur cor tuum?

Et 104.v.5. Et colles exilierunt vt agni ouium, Quid tibi mare accidit quod fugisti? Quid tibi Iordan quod cōuersus es retrorsum?

Esa. 1.v.5. Totum corpus plagis plenum est, quid percutiemini vltra cum adijcietis præuaricationem.

Ierem. 5.v.10. Ascendite muros & afferte propagines eius.

Et 40.v.6. O` mucro Domini vsquequo non quiesces ingredi in vaginam tuam.

Ezech. 21.v.28. Mucro, mucro euagina te.

Matth. 11.v.21. Tunc cepit Iesus exprobrare vrbibus: Væ tibi Corasin: væ tibi Bethsaida, *&c.*

Et v.23. Tyro & Sydoni tolerabilius erit in die iudicij quàm vobis: & tu Capernaum quæ vsq; ad cœlum exaltata es, vsq; ad inferos detraheris.

Ad Rom. 11.v.13. Vobis dico gentibus.

Et 13.v.3. Vis non timere potestatem.

Roman. 14.v.4. Tu quis es qui condemnes alienum seruum.

Vide Enallagen personarum in Phrasibus Pronominum & Verborum.

V. Prosopopæia personæ fictio, qua velut alienam personam nostra oratione loquentem fingimus.

Psal. 3.v.3. Multi dicunt animæ meæ, non est ipsi salus in Deo eius.

Et 12.v.4. Succidet Iehoua vniuersa labia blanda, & linguas loquentes magnas. Qui dicunt linguam nostram rob orauimus, labia nostra nobiscum sunt, quis dominabitur nobis?

Esa.

Esa. 13. v. 13. Tu autem dixisti in corde tuo, ascendam super cœlos, super stellas cœli exaltabo solium meum: id est, delebo regnum Iudę, & sedebo in monte congregationis in lateribus aquilonis.

Vers. 14. Ascēdam super altitudines nubis, similis ero altissimo.

Ea autem si tectior et occultior est, Mimesis imitatio scilicet Sermonis alieni vulgò dicitur, quæ fit per Ellipsin verbi Dico: estq; frequens admodum Hebræis.

Psalm. 2. v. 3. Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis funes eorum: vbi personæ impiorũ Propheta loquitur.

Et v. 6. Loquetur ad eos in furore suo, & in ira sua terrebit eos. Ego autem cōstitui Regem meum super Zion montem sanctum meum: vbi Deus ipse loquens introducitur.

Et Psal. 24. v. 8. & 10. Qui est iste Rex gloriæ: vbi in persona populi aut sacerdotum Propheta loquitur.

Esa. 14. v. 16. Videntes te contemplabuntur te. Num hic est vir qui conturbabat terram & cōcutiebat regna, qui posuit regna terrarum tanquam desertum, & vrbes eius destruxit, & vinctis suis non aperuit carcerem.

Ad Col. 2. v. 21. Quid ritibus oneramini, ne affligeris, ne gustaueris, ne contrectaueris. Vbi superstitiosi de cibis vetitis loquentes introducuntur.

FIGVRAE SENTENTIAE IN DIALOGISMO.

Dialogiſmus autem eſt in Interrogatione & Reſponſione.

I. Interrogationis autem varius vſus eſt apud Hebræos.

Primùm igitur ſimpliciter affirmat præſertim per particulas, nónne & an non, idq; frequenter.

Gen. 37. v. 13. Et dixit Iſraël ad Ioſeph: Nónne fratres tui paſcunt omnes in Sichem? Pro, paſcunt.

Exod. 4. v. 14. Aaron frater tuus facundus eſt. Pro, facundus.

Deut. 11. v. 30. An nón ſunt trans Iordanem ad occaſum Solis in terra Canaan? Pro, ſunt.

Ioſ. 10. v. 13. Nónne hoc ſcriptum eſt in lib. Iuſtorum. Pro, ſcriptum eſt.

Ruth. 3. v. 1. An nón quæram tibi requiem filia mea, vt bene tibi ſit? Pro, quæram.

1. Reg. 20. v. 27. Nónne hæc ſcripta ſunt in libro dierũ Iuda? Pro, ſcripta ſunt.

Pſal. 56. v. 9. Pone lacrymas meas in vtero tuo, nónne in libro tuo ſunt? Pro, ſunt.

Et v. 14. Eripuiſti animam meam à morte, nónne & pedes meos à lapſu? Pro, & eripis à lapſu.

Matth. 7. v. 22. Domine nónne in nomine tuo prophetauimus?

Marc. 12. v. 24. Nónne propterea erratis: quia neſcitis Scripturas neq; potentiam Dei?

Iohan. 4. v. 35. Nónne vos dicitis adhuc eſſe quatuor menſes ad meſſem?

Et cap. 6. v. 7. Nónne vos duodecim elegi, & vnus veſtrûm eſt Diabolus?

Et cap.11.v.9.Nónne duodecim ſunt horæ diei?

1.Cor.10.v.16.Nónne fractio panis participatio corporis Domini eſt?

Secundò negat, idq́;

I. Per particulas An, Num & Nunquid.

Gen.18.v.14.Nũquid difficile erit Domino verbum? Pro,minimè difficile erit.

Et v.17.Nunquid cælabo ego Abrahamũ, quæ facturus ſum? Pro,non cælabo.

Ad Rom.3.v.3.Num incredulitas eorũ fidem Dei faciet irritam? Pro,non faciet.

Et v.5.Num Deus iniuſtus eſt & pœnam inferat? Pro, minimè iniuſtus eſt.

II. Per Quis.

Pſal.113.Quis eſt ſicut Dominus Deus noſter? Pro, nemo eſt.

III. Per Quomodo.

Matth.12.v.26. Si Sathanas Sathanam vicit, quomodo ſtabit regnum eius? Pro,non poteſt conſiſtere.

Et v.34. Quomodo poteſtis bona loqui cùm mali ſitis? Pro,non poteſtis.

Et cap.23.v.33.Progenies viperarum quomodo effugietis damnationem Gehennæ? Pro, non effugietis.

Luc.6.v.42. Quomodo potes dicere fratri tuo: ſine eijciam feſtucam ex oculo tuo? Pro, non potes.

Iohan.3.v.41. Quomodo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex? Pro,non poteſt.

Et cap.6.v.52.Quomodo poteſt hîc dare nobis carnẽ ſuam? Pro,non poteſt,

1.Timoth.3.v.5.Qui propriæ domui præeſſe ſe neſcit quomodo lętitiam diei curabit? Pro,non curabit.

III. Prohibet. Interrogatio enim facta per Cur aut Quare,& verbum

verbum præsertim futuri temporis, caussam dehortationis & prohibitionis continet quod merè Hebraicum est.

Gen.27.v.43.Fili mi,fuge ad Laban fratrem tuum,donec quiescat furor fratris tui, *&c.* Quare vtroq; filio orbabor vice vna? Pro (ne orber) vtroq;.

1.Samuel.19.v.17.Respondit Michol Sauli: ipse dixit ad me: Dimitte me, quare te interficiam? Pro,ne te interficiam.

2.Samuel.2.v.22.Et dixit Abner ad Assahelem: Recede à me,quare te percutiam humi? Pro,te ne percutiam.

Psal.79.v.10.Adiuua nos Deus,quare dicent gentes: Vbi est Deus eorum? Pro,ne dicant.

Eccles.7.17.Ne sis iustus multùm,& ne sis sapiens nimiùm: vtquid desolaberis.Pro, Ne desoleris.

18. Ne sis impius multũ, & ne sis stultus: vtquid morieris non in tempore tuo? Pro,Ne moriaris.

Iere.27.v.13. Subijcite colla vestra iugo regis Babel & seruite ei: Quare moriemini tu & populus tuus gladio,fame,& peste? Pro,ne moriamini.

Et v.17.Seruite Regi Babel: Quare vrbs hæc in solitudine redigetur? Pro,non redigatur.

Et cap.40.v.15.Iohanan autem filius Charea locutus est ad Godoliam clàm in Mispa dicens: Ibo nunc & percutiam Ismaëlem filium Nathaniæ,& nemo sciet. Cur enim percutiet tē & dispergentur omnes Iudæi qui congregati sunt à te? Pro,ne percutiat te.

Exprimet autem Interrogatio varios affectus.

Primùm Admirantis est.

Psalm.8.v.10. Domine quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?

Esa.1.v.21. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis?

Secundò miserantis est.

Thren.1.v.1. Quomodo sedet sola ciuitas domina gentium?

Tertiò lamentantis & conquerentis est.

Psalm.3.v.2. Domine quàm multiplicati sunt hostes mei?

Psalm.22.vers.2. Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti?

Esa.58.v.3. Quare ieiunauimus, & non aspexisti?

Quartò indignantis & reprehendentis.

Psal.2.v.1. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?

Matt.17.v.17. Generatio incredula & peruersa: quousque ero vobiscum, quousque tolerabo vos?

II. Responsio est: Cùm ipsi nostræ interrogationi respondemus.

Matth.11.v.7. Quid exiuistis in desertum videre, num calamum à vento agitatum, an Prophetam? Amen dico vobis etiam præstantiorem Propheta.

Ad Roman.3.v.1. Quæ est igitur præstantia Iudæi aut quæ vtilitas Circumcisionis? Multa per omnem modum, *&c.* In quo capite plura etiam exempla sunt septē primis versibus & in fine Capitis.

III. Addubitatio. ἀπορία: Cùm nobiscum deliberemus.

Ad Phil.1.v.22. Vtrū verò viuere in carne mihi operpretiū sit, & quid eligā ignoro: coarctor enim vtrinq;, desiderans migrare & esse cum Christo. Nam id longè

optimum est: sed permanere in carne magis necessariũ est propter vos.

IIII. Communicatio ἀνακοίνωσις.

Cùm deliberamus cum aliis.

Esa. 5. Iudicate inter me & vineam meam.

Act 4. Iudicate vos an iustum sit coram Deo, vos potiùs audire quàm ipsum?

1. ad Cor. 4. v. 21. Quid vultis? Cum virga veniam ad vos, an cum caritate & spiritu lenitatis.

Et cap. 10. v. 15. Vt peritis loquor, iudicate vos quid dico.

Et cap. 11. v. 13. Apud vosmetipsos iudicate an decorum sit mulierem non velatam Deum orare.

V. Occupatio seu præoccupatio, prolepsis et procatalepsis: cũ alieni consilij interrogationem occupamus, eiq; responsionem subijcimus: quæ responsio hîc specialiter Subiectio dicitur. Atq; hæc figura tacitam ferè prosopopæian coniunctam habet: estq; singularis prudentiæ, & iudicij schema. Quare apud Paulum scriptorem longè prudentißimum frequens admodum, est.

Ad Rom. 3. v. 1. Non qui in propatulo Iudæus est, Iudęus est, sed qui in occulto Iudęus est. Quę est igitur pręstãtia Iudæi & quæ vtilitas Circumcisionis? (Subiectio.) multa per omnem modum.

Et v. 5. Vt iustificeris in sermonibus tuis, *&c.* (Occupatio) quòd si iniustitia nostra Dei iustitiam commendat. Quid dicemus num iniustus Deus qui inferat pœnam? (Subiectio) absit, alioqui quomodo Iudex erit Deus mundi?

Et v. 7. Etenim si veritas Dei per meum mendacium redundat in gloriam eius: Cur ampliùs ego vt peccator condemnor? (Occup.) Ac non (sicut de nobis malè

loquuntur,

loquuntur, & ſicut quidam aiunt nos dicere) faciamus mala vt veniat bonum. (Subiectio) quorum damnatio iuſta eſt.

Et v. 31. Vnus Deus eſt qui iuſtificat circuncisionem ex fide & præputium per fidem: (Occupat.) legem igitur inanem reddimus per fidē? (Subiectio) abſit imò legem ſtabilimus.

Et cap. 6. Quid igitur dicemus? permanebim⁹ in peccato vt gratia Dei auctior fiat? (Subiectio) abſit qui mortui ſumus peccato quomodo adhuc viuemus in eo.

VI. Permiſſio qua facti licentia permittitur, & ferè ironiam coniunctam habet qua res ſeu factum prohibetur potiùs quàm permittitur.

Iud. 10. v. 14. Et dixit Iehoua ad filios Iſraël: Ite & clamate ad Deos veſtros quos eligiſtis, ipſi ſeruēt vos tempore anguſtiæ veſtræ.

Ierem. 2. v. 28. Vbi dij tui quos feciſti tibi? ſurgant & liberent te tempore anguſtiæ tuæ.

Matth. 23. v. 31. Vos quoque implete menſuram patrum veſtrorum. Pro, pergite occidere Prophetas & Doctores pios ſicut patres veſtri fecerunt.

Et 26. v. 46. Dormite iam & requieſcite.

Iohan. 2. verſ. 19. Deſtruite templum hoc.

Et 13. v. 27. Quod facis, fac citò.

1. ad Cor. 15. v. 32. Quæ mihi vtilitas eſt ſi mortui nō ſuſcitantur? Edamus & bibamus, cras enim morimur. Correctio: Nolite errare. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Plura vide in tropo Ironiæ.

VII. Conceſſio cùm dictum aliquod aut argumentum condonatur, quæ & ipſa Ironiam ferè adiunctam habet, & cùm concedit negat & reprehendit.

1. Cor. 4. v. 8. Iam ſaturati eſtis, iam diuites facti eſtis,

ſine nobis Regnum adepti eſtis. Hactenus conceſſio: ſequitur correctio: Atque vtinam regnetis vt & nos vobiſcum regnemus.

2.Cor.10.v.1. Precor ego vos Paulus qui coràm quidem ſum humilis inter vos, abſens verò apud vos ſum confidens. Quod conceſſionem Ironicam eſſe apparet ex verſu proximè ſequente & ex vndecimo clariùs. Cùm dicitur hoc cogitet: quia eiuſmodi eſt, quales ſumus vobis per epiſtolas cùm abſumus, tales etiã erimus re ipſa cùm aderimus.

Et cap.11.v.6. Quod ſi rudis ſum ſermone, nõ tamen rudis ſum cognitione: vbi in priori membro conceſſio Ironica eſſe videtur. Nam alibi, Act.14.v.12. Dux ſermonis dicitur.

Et 1.Cor.14.v.8. Paulus ipſe linguarũ cognitionem & facultatem ſupra cæteros omnes ſibi vendicat.

Et v.19. Libenter toleratis inſipientes cùm ſitis ipſi ſapientes, quæ Ironica conceſſio eſt.

Verſ.13. De ipſis ait: Iſtiuſmodi Pſeudoapoſtoli operarij doloſi ſunt transformati in Apoſtolos Chriſti.

Et cap.12.v.16. Sed eſto: Non grauaui vos, ſed cùm eſſem callidus, dolo vos cepi: id eſt, per alios vos emũxi, & expilaui. Hactenus cõceſſio: ſequitur correctio: Nũ per quenquam, quos miſi ad vos, expilaui vos?

Atque hactenus de figuris Dictionis & Sententiæ dictum eſt.

DIALECTICA Sacræ Scripturæ illustribus exemplis illustrata:

ET IN
ACADEMIA HAFNIENSI
publicè proposita:
À
D. IACOBO MATTHIÆ,
fœlicis memoriæ.

IN DOCTRINAM ARGVMENTORVM SACRÆ SCRIPTVRAE, PRAEFATIO.



BSOLVIMVS hactenus Doctrinam de Phrasibus Hebraïcis & Tropis atq; Figuris Sacræ scripturæ: Reliquum esse videtur vt exempla Troporum seu Argumẽtorum Sacræ scripturæ addantur. Doctrina enim Argumentorum tertium est Scripturæ intelligendæ præsidium: sine quo interpretatio eius erudita nec fieri nec intelligi potest. Deinde ipsa Troporum doctrina vt à nobis tradita est, sine argumentorum explicatione intelligi nõ potest. Tropi enim ex T opis oriuntur, & ad eos tanquam ad fontes à nobis accommodati sunt.

Esse autem non solùm huius doctrinæ de Argumentis explicationẽ: sed totã etiam Dialecticã ad Sacram scripturam do-

cendam

cendam & discendam, perutilem, tum vsus ipse quotidianus in docendo et discendo ostendit: tum etiam Augustinus inprimis docet. Qui lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 31. Disputationis inquit: Disciplina ad omnia genera Quæstionum, quæ in libris Sanctis sunt, penetranda ac dissoluenda, plurimùm valet. Tantùm ibi vitanda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi aduersarium. Et idem aduersus Creschonium Grammaticum, lib. 1. cap. 14. & aliquot sequentibus, Christum & Apostolos Dialecticos, ostendere conatur, & ex Christi et Apostolorũ concionibus, Argumentationes ex Dialecticorũ legibus concinnatas, crebrò inueniri perspicuè ostẽdit. Et Hieronymus enarrans cap. 25. Ezech. Quicquid, inquit, in seculo peruersorum dogmatum est: Quicquid ad terrenam sciẽtiam pertinet, & robustum esse putatur, hoc Dialectica arte subuertitur. Hæc ille.

Si quid autem contra Dialecticam, apud veteres Theologos dictum legitur: id de Sophistica & artis abusu intelligendum est. De qua & Paulus loqui videtur ad Coloss. 2. cùm ait: Videte ne quis vos per Philosophiam aut inanem deceptionem deprædetur.

Dialectica igitur studijs Theologicis perutilis est. Vnde vt Cicero Topica Forensia, et Iureconsulti quidam, vt Christopherus Hegendorphius, et Claudius Cantiuncula Dialecticas legales fecerunt: Ita & Theologi quidam Topica Theologica, vt Ioachimus Perionius Pontificius, et Andreas Hipperius: Quidam Dialecticam Theologicam conscripsêre, vt nuper Caspar Oleuianus.

Verùm in Dialectica Sacræ Scripturæ caussa discenda, eiq́ue accommodanda, duplex præcipuè vitium cauendum est. Primùm, ne perperàm tradatur et discatur: Deinde, ne nimium ei tribuatur. Perperàm autem traditur si præceptis, et quæstionibus et technologijs subtilibus, et non necessarijs, aut etiam

tautologijs oneratur. Aut etiam ordine, nō satis ad vsum apto, traditur. Nam quod ad præcepta superflua attinet, vt reliquæ ferè omnes artes ambitionis aut quæstus caussa: Ita et Dialectica olim primùm à Philosophis ingenio et otio abundantibus, nimis aucta & inuoluta est: Deinde etiam à Scholasticis. Vnde Cicero Philosophos ait, plura quàm necesse esset, sibi quærenda, proposuisse. Ea enim est omni in re animorum conditio, vt à necessarijs orsa, cuncta venerint ad nimium, vt ait Plinius lib. 26. cap. 6. Et ea est natura artium omniū: vt si tota vita nihil velis agere aliud: ipsa tractatio et quæstio quotidiè aliquid ex se gignat, quod cū desidiosa delectatione vestiges. Vnde fit vt agitatione rerū sit infinita cognitio, vt ait Cicero 3. de Oratore.

Cùm autem hoc modo traditur Dialectica, non solùm ingenij, & iudicij, cuius illustrādi caussa traditur, lumen obscurat: Sed etiam artes & doctrinas omnes, quibus docendis & instituēdis quasi regula et norma adhibetur, corrūpit & deprauat. Vnde et studia discentium difficiliora & tardiora multò fiunt. Ita superiori seculo, cùm alias artes omnes, tum inprimis Theologiam præceptionibus et quæstionibus otiosis Dialectica vitiosa impleuit.

Ac de præceptis otiosis & spinosis in Dialectica eleganter ab Augustino dictum est de doctrina Christ. lib. 2. cap. 37. Plerunq;, inquit, accidit vt faciliùs homines eas res assequantur, propter quas assequendas ea discūtur, quàm talium præceptorum nodosissimas et spinosissimas disciplinas. Tanquam si quispiam dare volens præcepta ambulandi, moneat nō esse leuandum pedem posteriorem, nisi composueris priorem. Deinde minutatim, quemadmodum articulorum et poplitum Cardines oporteat mouere, describat. Vera quidem dicit: nec aliter ambulari potest. Sed homines faciliùs hoc faciendo ambulant, quàm animaduertunt cùm faciunt, aut intelligunt cùm audiunt. Magisq; in his omnibus ipsa spectacula veritatis sæpè

delectãt, quã ex ijs in diſputãdo aut iudicãdo adiuuamur. Niſi fortè quod exercitatiora reddant ingenia: ſi etiam maligniora aut inflatiora non reddant: hoc eſt, vt aut decipere alios amẽt, aut aliquid magnum, quo ſe bonis atque innocentibus antepo-nant, ſe aſſecutos putẽt, qui iſta didicerunt. Hæc Auguſtinus.

Deinde Dialectica etiã perperã traditur, ſi cõfusè et ꝑturbatè ſine iuſto ordine traditur. Nõ enim poteſt tũ aut in alijs arti-bus, aut in doctrina cœleſti, verum docẽdi ordinem monſtrare.

Perperàm etiam docetur, ſi verus vſus non ſatis mõſtretur. Vt ſi ars tantùm diſputandi eſſe doceatur & exiſtimetur. Quæ opinio vt peruetuſta eſt, ita etiã admodũ pernitioſa. Hinc enim magna incommoda in Scholis & Eccleſijs extitêre. Nam pri-mùm in Scholis exiſtimatum eſt, præcipuũ finem eſſe, vſum & fructum ſtudiorum et artium omnium, acutè diſputare. Atque ita non ſolùm aliæ artes & doctrinæ, ſed etiam Sacro Sancta Theologia ad diſputationes & conflictationes Scholaſticas, & vt Paulus ait παραδιατριβὰς *traducta eſt: Quarũ nullus eſſẽt finis & modus. Adeò vt vera et ſimplex doctrina, quæ diſputa-tionum fundamẽtum eſt, præ ludo et certamine Sophiſmatũ & Cauillationũ, et ipſum etiam Sanctum docẽdi officium frigeret atq; vileſceret: Nihilq; doctũ putaretur, niſi quod Quæſtiones, Syllogiſmos et diſtinctionum ſubtilitates ſaperet. Atq; ne diſpu tandi Materia vſpiam deeſſet, ſæpè nodus in ſcirpo quæſitus eſt: atq; omnia tandem vera, certa, perſpicua, in dubium vocata ſunt, & in vtramq; partem de omnibus omninò diſputatũ eſt.*

Neq; hoc ſolùm intra Scholarũ parietes conſtitit: ſed etiã in ipſas Eccleſias emanauit et ſuggeſta occupauit. Atq; in cõcioni-bus popularibus, in quibus populo pro captu eius, ſimpliciter & religiosè fides & pietas tradenda atque ſuadenda eſſet: ſæpè Quæſtiones non ſolùm otioſæ et inextricabiles: ſed etiã ſtultæ et ridiculæ propoſitæ et ventilatæ ſunt. Quare ars Dialectica quæ Theologiæ ſeruire debet admodum accuratè, præceptis, ordine & vſu tradi debet.

Deinde

Deinde & alterum vitium cauẽdum est: ne arti rectè etiam traditæ nimiũ tribuatur. Hoc est, ne vel Scripturæ præferatur vel æquetur. Augustinus lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 37. Absit, inquit, error, quo videntur homines sibi ipsam beatæ vitæ veritatẽ didicisse, cùm ista didicerint: ne etiam ea sola sine alijs bonis artibus ad Scripturæ tractationẽ sufficere putetur. Præterea ne vt domina Scripturæ adhibeatur: ad cuius leges superstitiosè astringatur: sed potiꝰ vt famula et ancilla cũ opus est et res postulat nõ temerè operam ei nauet. Deniq; ne in Scripturæ tractatione immodicè et intẽpestiuè, sed sobriè potiꝰ et prudenter adhibeatur. Vt enim ars sobriè et tempestiuè Scripturæ tractãdæ adhibita lucẽ adfert: vt & rectiùs intelligatur & diligẽtiùs cõsideretur, et ad vsum faciliùs trãsferatur: ita immodicè et intempestiuè adhibita, & tenebras ipsi offundit, & animos à doctrinæ consideratione ad artificij obseruationem et admirationem, & ab vsu doctrinæ & actione, ad speculationes traducit. Denique Theologiam quasi in Logicam transformat.

Priscianus de Metris Comicis ex Asitionio sic scribit: Comici, inqt, Poëtæ, laxiùs in versib. suis, quàm Tragici spaciũ dederũt: et illa quoq; loca q̃ Iãbo debebãtur, Dactylicis occupãt pedibus: dũ quotidianũ sermonẽ imitari voluerũt. Et à versificationis obseruatione, spectatorẽ ad actũ rei cõuertêre. Hæc ille. *Quod igitur Poëtæ homines sapientes fecerunt: id etiam nobis faciendum esse videtur: & vt illi aliquid de artificio versificationis remiserunt: vt spectatores & auditores magis res ipsas, quæ in fabula proponerentur, quàm versuum artem considerarent: Ita nobis etiam in doctrinæ cœlestis tractatione ars ipsa Dialectica nonnihil dissimulanda est, & artificiũ eius laxiùs et crassiùs adhibendum est: vt ita ipsa doctrina cœlestis, eiusq; vsus emineat, magisquè conspici & considerari possit.*

Aristoteles lib. Ethicorũ 1. cap. 3. Non est, inquit, in omni doctrinæ Genere æquè magna subtilitas requirẽda. Nec in vllo

doctrinæ genere maior ſubtilitas requiri debet quàm rei natura patitur. Et lib. 2. Omnis doctrina de rebus agẽdis, craſſè, non ſubtiliter tradi debet. Hæc ille.

Doctrina autem cœleſtis tota Practica eſt, & ad vitam rectè inſtituendam pertinet, & ad conſolationem animorum in peccatis & lapſibus, in rebus aduerſis & morte ipſa. Quare doctrina etiam cœleſtis non nimis exili & ſubtili, ſed craſſiori artificio & formula & pinguiori, vt dicitur, Minerua, tractanda eſt, ne ars ei plus noceat quàm proſit. Qua in re ſumma prudentia & cautione opus eſt.

Hæc igitur duo vitia vitanda ſunt: et vt vitentur, ars ipſa et accuratè admodum ſine præceptorum Ellipſi et Pleonaſmo et ordinis Enallage tradẽda eſt, et prudẽter Scripturæ adhibẽda.

Sed verã eius artis tradendæ & exercendæ rationem diſcẽt Studioſi à Profeſſore Dialectico, qui eam eruditè explicat. Nos tantùm, quod promiſimus, exempla perſpicua et illuſtria ſingulorum Argumentorum ex Scriptura colligemus, et eo ordine qui in Tropis expreſſus eſt digeremus.

Vt autem à capite rem accerſam, etiam de arte Dialectica primùm Generales quaſdam admonitiones addam. Dilectica igitur eſt ars benè diſſerendi, quæ et Logica dicitur. Eſtq́ propriè ars rationis et cogitationis: qua homo tacitus, aut etiam mutus vti poteſt. Vt enim Grammatica et Rhetorica propriè orationis: ita Dialectica propriè rationis ars eſt. Verùm, vt rationis et cogitationis, ita et artis ipſius vſus in oratione maximè conſpicitur. Diſſerere igitur non eſt tantùm hoc loco diſputare, vt vulgò vocabulo vtimur: ſed etiam cogitare, ratiocinari, diſceptare, diſputare, docere, dicere, declamare, concionari, quæſtiones ſimplices et coniunctas tractare: præterea ſcribere Orationes, Carmina, Hiſtorias, Epiſtolas, Artes et Tractat⁹ inſtituere, vera cõfirmare, falſa refellere. Deniq́ Dicta et Scripta aliorum expendere, et bonos autores omnis generis, Oratores,

Poëtas,

Poëtas, Philosophos, Medicos, Iureconsultos, Theologos, et ipsos denique Prophetas et Apostolos explicare, interpretari et commentarijs illustrare: Quod quidem ad rationis et cogitationis artificium attinet. Tàm enim latè patet artis vsus quàm rationis et ingenij humani.

Dialecticæ autē opponitur Sophistica. Quæ est artis abusus ac simulata quædam, nō autem vera Logica. Et Sophisma artis vitium est, seu vitium Logicum. Vt Solœcismus et Barbarismus vitium Grāmaticum est. Latinè Cauillatio, Cauillum, Fallacia dici potest. Et Sophista, qui arte abutitur ad alios fallendos. Cuius respectu Sophisma, dolus, fraus, ϛρόφα, techna, Captio dici potest. Galenus 2. de Temperamentis: Quicquid, inquit, in omnibus artibus et omnibus vitæ partibus peruersè iudicatur, Sophisma est.

Caussa autem artis Dialecticæ est partim natura, et ingeniū humanum radijs Sapientiæ diuinæ illustratum: partim obseruatio hominum ingeniosorum. Sophisticæ autē caussa est partim Malitia, cùm quis ingenio et eruditione excellens circumuenire conatur: partim imperitia, qua quis vel per se errat et hallucinatur vel cogitando vel audiendo aut legendo: aut ab alio in errorem inducitur.

Finis, Vsus et Officium artis est animum hominis in rerum omniū tractatione regere et gubernare, ne à vero aberret, neue fallatur quis, aut fallat alium, et vt fallentem deprehēdat. Est enim ars dux certior quàm natura: Quæ et hebetiores acuit et ingeniosos intra metas cohercet, ne temerè extra oleas, vt dicitur, euagentur. Estq; similis filo, quod ab Ariadne Theseo datū est, quo sē ex labyrintho Cretensi explicauit. Vt enim filum illud, Theseū regebat in cæci labyrinthi ambagibus: ita et ars hæc in magna rerum obscuritate et mentis humanæ tenebris et cogitationum quasi labyrinthis animo nostro viā ostendit. Finis autem Sophisticæ est mēdacium, et alios in mendaciū indu-

cere et fallere. Qui vsus multò latiùs patet quàm vsus Logicæ.

Instrumētum disserendi est oratio vel orationis Symbolum Scriptio vel Scriptura. Oratio ergo nota et perspicua esse debet. Nisi enim oratio nota sit, nulla omninò potest esse cum alio disserendi facultas: et nisi perspicua sit, facilis est error & lapsus. Oratio ergo si vel obscura vel ambigua est, vitiosa et Sophistica est. Vnde existunt errores & λογομαχίαι, quæ in maximis & grauißimis contentionibus sæpè dominātur. Quas etiam Paulus nominatim prohibet.

In sermonis ergo ignoratione, obscuritate & ambiguitate primus fons est Sophisticæ. Qui latißimè patet, non tantùm in Scholis, in artibus & doctrinis: sed etiam in vita communi, in contractibus, in pactis, in fœderibus, in iudicijs, in legum interpretatione.

Atq; hæc Sophistica omniū maximè naturalis, vulgaris & vsitata est, vt ait Arist. Elenc. lib. 1. cap. 1. et lib. 2. cap. 7. Nam quia fieri non potest, vt de rebus ipsis propalā et ante oculos positis, disseramus: sed nominum symbolis atque notis pro rebus vtimur: Quod in nominib⁹ vsu venit: id quoq; in rebus vsu venire arbitramur. Quemadmodū ijs accidit qui calculis ratiocinantur. At id nequaquā est simile. Nomina siquidē sunt finita & verborū finitus est numerus: Res autem sunt innumerabiles et infinitæ. Vnde necesse est, vt vnum et idem nomen atque verbum res plures significet. Quemadmodū itaq; à peritis falluntur ij, qui calculos subducere nesciunt. sic in disserendo, qui verborum vim ignorant, decipiuntur: siue ipsi secum disserāt, siue alios disserentes audiunt. Hæc ille. quæ diligenter sunt obseruanda. Nam hæc in Sacris etiam literis et doctrina cœlesti maximè locum habent. Cùm enim Doctrina cœlestis tota ex libris Prophetarum et Apostolorum haurienda sit, nisi sermo rectè intelligatur, et facilè est hallucinari, et error admodum

periculosus


periculosius est. Sic plerique Hæretici lapsi sunt. Sic Pelagius, cùm vocem GRATIAE, apud Paulum non rectè accepisset, Pauli doctrinam de Iustificatione hominis corrupit. Sic cùm Monachi nō rectè acciperent voces, Iusticiæ, Gratiæ, Fidei, grauiter errarunt et doctrinam corruperunt.

Quare ante omnia in doctrina cœlesti eiusq́ue cognitione et explicatione vera sermonis significatio, quærenda et constituenda est. In ijs præsertim locis, in quibus, de dogmatibus vel alijs grauioribus negotijs, agitur. Galenus inquit: ἀρχὴ τοῦ μὴ σοφίζεσθαι, τὸ τῇ λέξει διωρισμένῃ χρῆσθαι: *id est, prima ratio cauendi erroris et Sophismatis est, sermonem intelligere, eoq́ue rectè vti. Et Christus Matth. 22. Erratis, inquit, nescientes Scripturas: id est, non intelligentes Scripturas quas legitis.*

Vt ergò sermo Scripturæ intelligatur et de doctrina cœlesti sine errore disseratur, opus est, non solùm Latinæ linguæ, sed etiam Græcæ et Hebraicæ, quibus ea primùm tradita est, cognitione haud vulgari: quæ ex Grammaticis, Lexicis et Concordantijs Scripturæ: atque ipsa Scripturæ lectione et auditione assidua, petenda est. Et nos ad hunc vsum Phrasium Hebraicarum, Troporum et Figurarum doctrinam ex Sacris literis proposuimus.

Deinde vocum certa significatio in Scriptura ex Argumento et Loco, petenda est. Vt enim Philosophis quibusdam visum est, nullum esse verbum quod non sit ambiguum, et plura significet, vt ait Quintil. lib. 7. cap. 9. Ita vocum ὁμωνυμίᾳ *et (vt ita dicam)* πολυσημίᾳ *tollitur, et certa significatio ex Argumento et Loco seu verbis Adiunctis cōstituitur. Cùm autem cum alio disputatur: si sermone obscuro vtitur, obscuritatis nomine reprehendendus est, ac dicendum, non intelligo, nisi apertiùs dicas, vt docet Cicero in Bruto de Cecinna et Caio Rustio, pag. 188. et de Diuin. lib. 2. pag. 136. Si autem sermone*

ambiguo



ambiguo vtitur, ambiguitas ex Grammatica & Lexico, enumeratis significationibus, cùm opus est, explicanda est. Atque hæc in genere.

Sextus Empiricus lib. 2. Pyrrhonicarũ Hypothesium cap. 23. admonet, Sermonem ambiguum etiam à pueris in vita cõmuni intelligi, et cùm opus est, explicari solere.

Etsi autem Species obscuri & ambigui innumerabiles sunt, vt ait Fabius: Et in disserẽdo satis est obscuritatis & ambiguitatis nomine sermonem reprehendere: tamen autores caussas & Genera obscuritatis & ambiguitatis quædam notarũt. Vide Aristotelem de Elenchis in dictione. Fabium lib. 7. cap. 9. Et Augustinum Tomo 1. de principijs Dialecticæ, & Tomo 3. de de doct. Christ. lib. 3. cap. 4. et deinceps.

Subiectum artis est Ens: id est, res omnis de qua disseri poßit. Vt enim Grãmatica de omni re loqtur: Ita Dialectica de omni re disserit. Sed hoc interest, Quòd Grammatica etiam nulla habita veritatis ratione de rebus temerè garrit et nugatur: Dialectica autem ad veritatem et naturam rei, cogitationem et orationem dirigit: Vt ars gubernandi nauem ad portum. Res autem quæ ad disserendum proponitur Thema, Thesis, Propositum vel Quæstio denique dici potest.

Omne autẽ Thema et Quæstio omnis quæ in scholis Theologicis et Ecclesijs proponitur, vtilis esse debet. Quod monet Paulus 1. ad Cor. 14. Cùm sitis sectatores spirituum: Omnia ad ædificationem Ecclesiæ facite. Ad Titum 3 Hæc volo te proponere et asserere quæ sunt honesta et vtilia hominibus: stultas autẽ quæstiones fuge: sunt enim inutiles et vanæ. Et 2. ad Tim. 2. Hæc suggere obtestãs coram Domino, ne verborũ pugna sequantur, quod nullam adfert vtilitatem, sed auditores tantũ subuertit.

Aristoteles etiam Topicorum 1. cap. 9. admonet, non esse de quouis Themate disserendum. Certa enim non esse disputanda, nisi id exercitij caußa fiat, sed docenda potiùs. Neque de claris et per-

et perspicuis: neque de arduis & difficilibus quæstionibus: quoniam illæ nullam habent dubitationem: hæ autem quæ explicari nequeunt, frustrà disputantur.

Thematis autem cognitio necessaria est ad disserendum. Aristoteles lib. 2. Rhet. cap. 21. Primùm omnium, inquit, necesse est, vt is, qui de re aliqua disserere velit, cognita et perspecta habeat, vel ea omnia quæ ad rei naturam spectāt, vel quædam saltem. Nam qui nihil cognitum habet, nihil etiam de re dicere potest. Thematis autem cognitio ex ijs artibus petenda est, in quibus res proposita explicatur. Singulæ enim artes & doctrinæ singularū rerum Dialecticæ sunt. Vide Arist. Anal. 1. cap. 20. & Top. 1. cap. 9.

Sic Thematis Theologici explicatio et cognitio ex libris Propheticis & Apostolicis & Catechesibus: id est, libris doctrinæ Christianæ capita, Methodicè explicata, cōtinentibus, petenda est. Vnde & de Paulo dicitur Act. 17. Quod cùm Iudæis Thessalonicensibus disseruerit ex Scripturis. Disserebat quidē ex præscripto Dialecticæ: sed res & materiam disputationis ex Scriptura sumebat.

Duo igitur prima sunt, ad disserendi facultatem necessaria fundamenta: nempe sermonis primū, tum et rei cognitio. Quibus deinde accedit Dialectica, quæ disserēdi tantum rationem præscribit.

Adiunctū Dialecticæ esse debet in docēdo Fides & Cādor. In disputando autem cum alijs: amor veritatis, odium Sophisticæ & Calumniæ: Candor in iudicandis aliorum dictis: moderatio affectuum, vt ambitionis, iracundiæ & reliquorum, qui iudicium impediunt & communicationem placidi sermonis turbant. Absit φιλονεικία, absint conuitia: Denique sit modus quidā disputationis. Nimiū enim altercādo veritas amittitur, & quod nimis subtile est, Sicophanticum est. Vide Ambrosium lib. 1. Officiorum, cap. 26. Atque hactenus Præfatio fuit.

DE ARGVMENTO.

IALECTICAE duæ ſunt Partes: Inuentio & Diſpoſitio: vt docet præcipuè Fabius lib. 5. cap. 14. & Cicero in Topicis.

Inuētio eſt pars Dialecticæ de Argumentis inueniēdis. Eſtq; quaſi Prædicamentū quoddā Relationis, & quaſi arbor Conſanguinitatis: in quo perſonæ & res variæ inter ſeſe cōferuntur: vt intelligi poteſt ex ipſo Ariſt. lib. 4. Metaph. cap. 15.

Doctrinam autem Inuentionis variis in locis Ariſtoteles in Organo tradidit: omnium autem commodiſſimè in Rhetorica lib. 2. cap. 22. Quem ſecutus Cicero, eam in Topicis ad Trebatiū expoſuit. Philippus autem cùm alibi, tum in Methodo Simplicium Quæſtionum, in doctrina Locorum, & Methodo Didaſcalica Simplicis & Compoſiti Thematis explicat.

VSVS autē huius Doctrinę eſt, non ſolùm ad probādum, ſed etiā ad docendū, dicendū, ornandū, amplificādum, mouendum, delectandum: ſiue de perſona, ſiue de re aut facto, ſiue de ſimplici, ſiue coniuncto Themate agatur. Denique ad bonos autores & ipſam Sacram Scripturam tractandam & interpretandam: Quo nomine à nobis proponitur. Quod docet Eraſmus lib. 2. de Concionādi ratione, & lib. 2. de Copia. Quare etiam ſemel ea doctrina tradi poteſt. Sed vſus eius variis exemplis, perſonæ, rei, Thematis Simplicis & Compoſiti, tum in docendo, tum in probando monſtrari poteſt. Qua in re magnum eſt diſcendi compendium: quod & nos ſequemur.

Ad inueniendum autem, ſi Thema compoſitum offertur: id eſt, integra Sentētia & Oratio: primùm in partes

tes & voces ſimplices reſoluenda eſt. Vt ſi quæſtio ſeu Thema ſit: An Fides iuſtificet: & ad hanc probandam argumenta quærenda ſint: Primùm reſoluenda eſt in partes duas, nempe Fidem & Iuſtificationem: tum vtriuſq; partis argumẽta ſeorſim quærenda ſunt, primùm Fidei, tum Iuſtificationis.

Argumentum autem eſt minima pars orationis Logicæ, quæ Thema arguit. Et Cathegorema, Locus, Principium, Elementum, Medium, Terminus, Ratio & Probatio etiam dicitur: & vel vna voce: vel oratione pro voce ſimplici ſumpta, continetur. Vt autem Thema ſimile eſt perſonæ, de cuius cognatione quæritur: Ita Argumentũ ſimile eſt perſonæ, cum qua illa confertur. Et Argumenta quidem & cum Themate ipſo & inter ſeſe conferuntur. Et Thema quidem pro Argumento, cum quo cõfertur, varia nomina ſortitur. Sic in oratione, Fides iuſtificat: ſi Fides vt Thema accipiatur, cauſſę efficientis nomẽ ſortitur: iuſtificare autem effectus: Si autem dicatur, Fides eſt donum Dei: iam Fides Effectus fit: Deus autem cauſſa efficiens. Vt autem omnia Argumenta vni rei cõpetere poſſunt: Ita etiam vnum Thema omnium Argumentorum nomina induere poteſt: excepto Deo, Qui cùm ſit cauſſa & Subiectum rerum omnium: nullius rei effectus aut Adiunctum eſſe poteſt.

Argumenta igitur Summa ſunt rerum omnium & Cognitionis atq; Scientię humanę capita & genera. Sunt q́; quaſi Elementa & literæ cognitionis humanæ, vt ait Cicero: & omnis doctrinæ Fontes vberrimi. In Argumento autem interdum Hyperbole eſt: cùm id naturam rei & Fidẽ excedit: vt cùm dicitur, Terra fluens lacte & melle, Exod. 3. v. 17. Et Saul & Ionathan Leonibus fortiores & aquilis velociores erant, 2. Sam. 1. v. 23.

DE SINGVLORVM ARGVMENTORVM COPIA, VARIETATE & speciebus.

ARgumenti cuiusq; ea est natura, vt res omnes suo ambitu complectatur: & per totam rerum naturã extendi potest. Quicquid enim exempli caussa, in mũdo est, caussa alicuius rei, Effectus alicuius rei, Subiectum alicuius rei, Adiunctum alicuius rei est. Vnde si singulorum Argumentorũ Genera & Species fierent, doctrina infinita nasceretur, & in aliarum artiũ fines irrueret. Nam Physica rerum naturalium Substantiarum & Qualitatum argumenta explicat: Medicina morborum & remediorum: Aethica morũ, officiorum, virtutum & vitiorum: Theologia Qualitatum & Actionum ad cultũ Dei & hominum Salutem, adeoq; Dei ipsius, Christi & Spiritus S. Argumenta explicat.

Vt igitur huius doctrinę sit modus: prętermissis Argumentorum speciebus vel non necessarijs, vel ad artes singulas pertinentibus: Generales tantũ & ad doctrinę cœlestis tractationẽ Species in singulis Argumentis & exemplis recitabo. Deinde vnius rei seu Thematis Argumẽta eiusdem generis varia esse possunt: sed certa ratione distincta & quasi subordinata. Vt alia sint Prima, alia Media, alia Postrema, alia Remotiora, alia Viciniora, alia Cõmuniora, alia Propria. Vnius ergo rei varię caussę, varij Effectus, varia Subiecta, varia Adiũcta esse possunt. Sic, exempli caussa, Fidei plures sunt caussę. Prima Spiritus S. per verbum auditũ aut lectum efficax. 2. Verbũ Dei seu promissio Euangelij de Gratia & remissione peccatorum. 3. Mens & voluntas per Spiritum S. adiuta & verbo Dei assentiens. Effectus autem & Fines plures. Primus, Iustificatio: id est, remissio peccatorum & imputatio

tatio iustitię Christi. 2. Donatio Spiritus S. & Regeneratio. 3. Pax & Lætitia conscientiæ acquiescentis in Deo propitio. 4. Omnia bona opera. 5. Vera inuocatio Dei. 6. Vita æterna. Subiecta etiam Fidei plura: Primum Subiectũ est homo ipse totus: deinde animus est & voluntas quatenus fiducia est. Subiectum circa quod est doctrina cœlestis, & in hac promissio remissionis peccatorum & vitæ æternæ propter Christum: Deinde etiam promissiones bonorum corporalium, & ipsa bona, & sic de alijs.

Atq; omnia quidem Argumenta eiusdem generis scire oportet eum, qui rem quamq; perfectè intelligere velit: Verùm ea præcipuè maximè obseruanda sunt, quæ rei vicina propria, & propinqua sunt. De quo vtilis extat admonitio apud Aristotelem Rhetoricorum lib. 2. cap. 21. Ea, inquit, Argumenta, potissimùm colligẽda & obseruanda sunt, quæ ad rem ipsam quàm proximè accedunt. Hæc enim ad docendũm accommodatiora sunt. Voco autem Communia hoc modo, vt si quis Achillem laudet, quòd homo sit, quòd Heros sit, & quòd ad bellum Troianum profectus sit. Hæc enim alijs etiam multis competunt. Quare qui hæc commemorârit, non magis Achillem quàm Diomedem aut alium aliquem laudârit. Propria verò illa dico, quæ nemini alij contigerũt. Vt quòd Hectorem Troianorum præstantissimũ: & Cygnum, qui cùm vulnerari non posset, Gręcos omnes littore prohibuit, interfecerit: & quòd omnium esset maximè adolescens: & quòd iureiurando non astrictus ad id bellum profectus sit. Hæc Aristoteles. Quare propria maximè Argumenta, tum in personis, tum in rebus obseruanda & tractanda sunt.

DE NVMERO, ORDINE ET NOMINIBVS ARGVMEN- *torum.*

QVod autem ad Numerũ, Ordinem & Nomina Argumentorum seu Locorum attinet: parùm inter autores conuenit. Vix enim vnus cum alio consentit. Et de his fortasse nunquam inter omnes consensus erit. Nos in præsentia decem Capita & titulos Argumẽtorum, ad quæ omnia omninò Argumenta, quæ quidẽ vera Argumenta sunt, referri possint, recitabimus. Quæ hæc sunt:

1. *Efficiens.*	6. *Comparatum.*
2. *Effectum*	7. *Distributio.*
3. *Subiectum.*	8. *Definitio.*
4. *Adiunctum.*	9. *Nomen.*
5. *Dissentaneum.*	10. *Testimonium.*

Hæc Summa & hic Ordo ad Leges artis, ad intelligentiam, ad memoriam & ad vsum commodissima esse videtur. Et cum Methodo Simplicis Quęstionis & Methodo Didascalica Philippi in Dialectica & Rhetorica ferè cõuenit: nisi quod pauci tituli hîc addantur, & Nomina quædam mutata sunt, & ordo nonnihil immutatus est. Distributio enim, Definitio & Nomen, quæ ipse proponere solet: hîc posteriori loco collocata sunt. Etsi enim Nominis explicatio, Definitio & Diuisio prima ferè in doctrinis esse solent: tamen hęc ipsa ex prioribus magna ex parte pendent: & ex ijs, Materiam & vim sumunt, & sine illis proinde doceri & inueniri commodè non possunt.

Conuenit etiam cum Ramea Locorum dispositio-

ne

ne postrema. Sed hîc quædam tamen immutata sunt. Materiam enim primùm & Formam, quas inter caussas recitat, ad Diuisionem & partes referimus, & partibus subijciemus. Nam Aristoteles qui quatuor illa Caussarum Genera, Efficientis, Materiæ, Formæ, Finis proposuit: etiam Materiam & Formam inter partes numerat Metaph. libro quarto, capite vigesimoquinto. Et Rodolphus etiam inter partes refert libro primo, capite nono.

Deinde in doctrina Cœlestis tractatione non magnū vsum habent hæc Argumenta. Doctrina enim Cœlestis, Deo ferè & homine excepto, in Accidentibus & rebus incorporeis versatur, vt sunt Articuli Fidei, Euangelium, Lex Dei & Præcepta, Peccatum, Pœnitentia, Fides, Iustificatio, Sanctificatio, Regeneratio, Precatio, Bona opera, *&c.* Accidentia autem & res incorporeæ materiam non habent: & sibipsa sunt Formæ: Vt etiam Philippus in Methodo Simplicis Quæstionis indicat. Quare eorum duorum Argumentorum in doctrinæ cœlestis tractatione vsum habere non videmur: nec à Philippo in Methodis adhibentur. Et ipsa interdum adhibita, doctrinam magis inuoluere & obscurare quàm illustrare videntur, & plerunque inanes ταυτολογίας gignere solent.

Atque hac etiam de caussa & Aristoteles in Rhetoricis, & Cicero in Topicis forensibus, prætermisisse hæc Argumenta videntur. Formæ enim apud illos hoc sensu nulla fit mentio. Materiæ autem inter efficientia, obiter quasi à Cicerone mentio fit: Quòd ea parùm ad forum & Iurisprudentiam pertinere ipsis visa sint. Iurisprudētia enim tota in rebus incorporeis cōsistit. Vt sunt Ius hæreditatis, Vsus, Vsusfructus, Obligationis, *&c.* vt

est

est, lib. 2. Instit. titulo 2. de rebus corporalibus & incorporalibus.

Si quis autem horum duorum vsus esse poterit: ex Diuisionis loco, is peti potest.

Deinde caussam Finalem partim ad caussam Efficientem: quatenus in cogitatione agentis & efficientis versatur, eumq; ad agendum & efficiẽdum excitat atq; impellit, partim ad Effectum referimus: quatenus in vsu & actione versatur & conspicitur. Erasmus in Ecclesiaste pag. 790. Sicut quidã loci, inquit, ita inter se constant, vt ijdem videantur, veluti cõtraria & repugnantia eadem videntur, vt Effecta, euenta & consequentia: caussa efficiens & generatio, caussa efficiens & finis. Et hæc ratio etiam ad doctrinæ cœlestis tractationem commoda esse videtur. Cùm enim Finis ab Effectu distinguitur, & seorsim ad Thematis explicationem adhibetur, plerunq; ταυτολογία fit. Sic si de Iustificatione dicatur: & Finis eius Gloria Dei, & Effectus eius Gloria Dei dici potest. Quòd si inter Efficiẽtes caussas Impulsiuã numeres, etiã Gloria Dei caussa impellens Deum ad iustificandum hominẽ esse potest. Vnde duplex ταυτολογία nascitur. Vnde & Theologi ipso vsu monente, non rarò in doctrinæ explicatione Finẽ cum Effectu coniungunt. Sic Finis & Effectus fidei dicitur iustificatio: iustificationis autẽ tranquillitas & gaudium conscientia, *&c.* Atq; hæc de Numero, Ordine & Nominibus Argumentorum in præsentia.

PRIMVM

PRIMVM ARGVMENTVM, CAVSSA EFFICIENS.

E*FFICIENS est quod rem efficit. Quod & Conficiens, & Caussa, & Origo, & Principium, & Elementum, & Materia, & Semen, & Seges, & Radix, & Caput, & Fons: & de Persona seorsim: Autor, Faber, Opifex, Fax, tuba dici potest.* De quo Argumento cecinit Virg. 2. Georg.

Felix qui potuit rerum cognoscere caussas.

A Caussa autem meritò doctrina Inuentionis inchoatur: Quod hîc vt rerum, ita & Scientiæ origo sit. Et in caußis & Effectis præcipuum omnis doctrinæ fundamentum est.

CAVSSA prima, & Summa, & Caussa caussarum, quę nullam Caussam habet, est Deus, mundi & rerum omnium Opifex. Gen. 1. v. 1. In principio creauit Deus Cœlum & Terram. Deus igitur Fundamentum, Caput & Radix est Caussarum & Scientiæ omnis.

D*EVS* idem sua præsentia & prouidentia omnia adhuc conseruat, sustentat & gubernat. Ioh. 5. v. 17. Pater meus adhuc operatur & Ego operor.

D*EVS* generis humani propagationem tuetur. Psal. 32. v. 15. Qui fingit sigillatim corda eorum.

D*EVS* pijs laborantibus opem fert. Quare non est timendum aut desperandum. Psalm. 56. v. 12. Deo fido, non timebo quid faciat mihi homo.

D*EVS* pijs adest: ergo nemo ipsis nocere potest. Ad Rom. 8. v. 31. Si Deus pro nobis quis contra nos?

D*EVS* resipiscentes iustificat: ergo nemo eos condemnare potest. Ad Rom. 8. v. 33. Deus est qui iustificat: quis est qui condemnat?

D*EVS* est autor Magistratus: ergo ei mos gerendus est.

est. Ad Rom. 13. v. 1. Omnis anima potestati supereminenti subiecta esse debet. Non enim est potestas nisi à Deo.

DEVS autor est doctrinæ cœlestis: Ergo discenda & audienda est. Esai. 1. v. 1. Audite Cœli: quia Dominus loquitur.

DEVS est autor doctrinæ Apostolorum: Ergo impediri nō potest. Act. 5. v. 38. Dico vobis, abstinete ab hominibus istis. Quoniã si est ex hominibus cõsiliũ aut opus hoc dissoluetur: Sin ex Deo est, dissoluere non potestis.

DEVS mandat bona opera: Ergo sunt necessariò facienda. 1. ad Thess. 4. v. 3. Hæc est voluntas Dei, *&c.* Ad Rom. 8. v. 12. Debitores Dei sumus non Carnis.

DEVS est autor pœnarũ & crucis. Quare æquo animo ferenda sunt. Esai. 45. v. 7. Ego Dominus creans pacem & faciens malum. Amos 3. v. 6. Non est malum in ciuitate quod non facit Dominus.

DEVS infirmos tolerat: Ergo nos etiam ferre debemus. Ad Rom. 14. v. 3. Infirmum assumite. Deus enim eũ assumpsit.

DEVS etiam volens aut permittens fortuitorũ euentuum caussa dicitur, vt Exod. 21. v. 12. Qui percutit hominem vt moriatur, morte plectendus est. Sed si quis nō dedita opera interfecerit, sed Deus manui eius obiecerit: is ad Asylum confugiet.

DEVS non est autor peccati. Psalm. 5. v. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es.

NEC est autor mortis. Ezech. 18. v. 32. Nolo mortem peccatoris, *&c.*

CHRISTVS cum Patre omnia condidit & cõseruat. Ad Col. 1. v. 16. Per eum cõdita sunt omnia, *&c.* & omnia per eum consistunt.

CHRI-

CHRISTVS redemit nos: Qui sua passione & morte Patrem placauit. Ad Gal. 3. v. 13. Christus nos redemit à maledictione legis dum pro nobis factus est maledictũ.

CHRISTVS Antichristum conficit. 2. ad Thess. 2. v. 8. Dominus conficiet Antichristum Spiritu oris sui: id est, doctrina Euangelij.

CHRISTVS est autor Resurrectionis: Quare si ipse resurrexit, Homines etiam resurgent: Sin minus, non resurgent. 1. Cor. 15. v. 12. Si Christus resurrexit, etiã mortui resurgent. Si non resurrexit, non resurgẽt. v. 21. Quia enim per hominem Mors: & per hominem quoque Resurrectio.

DIABOLVS homini peccati & mortis caussa fuit. Gen. 3. & Ioh. 8. v. 44. Diabolus mendax est, & pater mẽdacij. Id est, primus fons & caussa mẽdacij & omnis peccati. 1. Ioh. 3. v. 4. Qui facit peccatũ ex Diabolo est. Quia ab initio Diabolus peccat: id est, Primus autor peccati est Diabolus.

HOMO à Diabolo impulsus etiam peccati autor est. Ad Rom. 5. v. 12. Per hominem peccatũ intrauit in mundum: id est, homo sua libertate se à Deo auertit, suasore Diabolo.

HOMO hominis caussa est, dum procreat. Sic parentes sunt liberorum caussa. Vnde varia sunt Scripturę Argumenta.

A' parẽtibus plerunq; de filijs iudicatur. Et filij ferè patrum similes sunt aut esse deberent. Deut. 32. v. 32. In Allegoria de vite cedunt: vitis eorum. 1. Sam. 20. v. 30. Filij Mulieris virum rapientis: id est, adulteræ. Ezech. 16. v. 3. Pater tuus Amorræus & Mater tua Cethea fuit: vbi & Hyperbole est. Et v. 44. Qualis Mater, talis Filia. Matth. 12. v. 34. Progenies viperarum quomodo potestis be-

nefacere cùm sitis mali: vbi in progenies viperarum etiam Metaphora Hyperbolica est: pro mali filij, malorũ parentum. Ioh.8.v.39. Si filij Abrahæ essetis: opera Abrahæ faceretis.

HOC Argumento etiam Scriptura de Deo & hominibus dulci admodũ Metaphora vtitur. Deut.32.v.18. Dei qui te genuit oblitus es. Esai.1.v.2. Filios enutriui. At ipsi deseruerunt me. Matth.5.v.48. Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est. Et, 6.v.32. Ne Estote solliciti: quia pater cœlestis vestri curam gerit.

HOMO etiam homini autor boni & mali, Salutis & interitus caussa est.

BONI & Salutis autor est qui alit, conseruat, tuetur, docet: Cuiusmodi sunt, Nutrices, Pædagogi, Tutores, Magistratus, fideles Præceptores & Doctores, Patroni, & Mecœnates, amici, *&c.*

PROPHETAE & Apostoli Deum ipsum & Spiritum S. præceptorẽ habuêre. 2.Pet.1.v.21. A' Spiritu Sancto acti, locuti sunt Sancti Dei homines.

ET ijdem hominum rursum Magistri, & doctrinæ cœlestis autores, & Ecclesiæ conditores secundarij fuêre. Ad Ephes.2.v.20. Superstructi super fundamẽtum Prophetarum & Apostolorum.

MINISTRI Euangelij, & Pij doctores sunt hominibus caussã salutis. 1.Timoth.4.v.16. Attende tibijpsi & doctrinæ. Hoc enim faciens teipsum saluũ facies, & eos qui te audiunt.

MALI autor est homo homini, varijs modis, vel praua doctrina, vt Sophistæ & Hæretici, vel malo consilio. Genes.3.v.12. Mulier quam mihi dedisti, illa mihi dedit, & comedi.

VEL qui vi & manu nocet, vt Tyranni, Latrones, *&c.*

HOMO

HOMO etiam multarum rerum & artium autor eſt, Gen.4.v.20.

RES etiam rei cauſſa eſt.

SIC peccatum mortis cauſſa eſt. Ad Rom.5.v.12. Per hominem peccatum intrauit in mundum: & per peccatum mors. Et 6.v.23. Stipendium peccati mors.

SANGVIS Chriſti tollit peccatum & mortẽ. 1.Ioh.1.v.7. Sanguis Chriſti purgat nos ab omni peccato.

OPVS præmij cauſſa eſt. 2.ad Theſſ.3.v.10. Qui non laborat, non manducabit. 2.ad Tim.2.v.6. Agricolam oportet priùs laborando fructum percipere. Et v. 5. Non coronabitur quis, niſi legitimè certauerit.

HARVM Cauſſarum Gradatio eſt. Ad Rom. 5.v.3. Afflictio patientiam parit: patientia experientiam: experientia ſpem: ſpes autem non confundit.

INSTRVMENTVM Efficientis Species eſt.

SIC Miniſtri verbi, Dei quaſi Organa ſunt ad ſalutem hominum. 1.Cor.3.v.6. Dei ſumus συνεργοί, &c.

DOCTRINA etiam cœleſtis cauſſa Inſtrumentalis Fidei eſt. Ad Rom.10.v.13. Fides ex auditu: auditus autẽ per verbum.

ET eadem Organon Salutis eſt. Ad Rom.1.v.16. Nõ pudet me Euangelij Chriſti, potentia ſiquidem Dei eſt ad ſalutem omni credenti.

ET Sacramẽta Inſtrumẽta Salutis ſunt. 1.Pet.3.v.21. Baptiſmus nos quoq; ſeruat per reſurrectionẽ Chriſti.

FIDES apprehendens Chriſtũ & gratiã eius per verbũ & Sacramenta oblatã Cauſſa Inſtrumentalis Salutis eſt. Ad Rom.3.v.28. Colligimus Fide iuſtificari hominẽ.

ET partes hominis actionũ Inſtrumenta ſunt: vt Cor cogitationum: Os, Lingua, Labia ſermonis: Brachium, Manus, Digiti, Inſtrumenta operum.

EFFICIENS interdum Impulsiua dicitur. Estq; vel Obiectum vel Affectus.

OBIECTVM est persona aut res ad agendum mouens. Gen. 6. v. 2. Viderunt filij Dei filias hominum pulcras esse, & eas vxores duxerunt. Et, 3. cap. v. 6. Vidit mulier fructum arboris bonũ ad vescendum, aspectu iucundum, & ad intelligendũ efficacem, decerpsit & comedit.

AFFECTVS in Deo aut homine etiã caussa dicitur. Thren. 3. v. 22. Misericordia Domini est quod nõ sumus consumpti. Iohan. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum daret, *&c.* Psalm. 2. v. 12. Osculamini Filium ne pereatis, cùm exarserit subitò ira eius.

HVC etiam Occasio referri potest: quæ est Loci & Temporis. Vnde dicitur: Vitare peccata est vitare occasionem peccandi. Et Prouerb. 18. v. 1. dicitur: Occasionem quærit, qui vult discedere ab amico.

FINIS etiam efficit quatenus bonum aliquod est, vel cogitatio de bono, quæ efficientem ad agẽdum excitat. Sic Deus ipse & Gloria eius Finis est hominis & rerum omnium à se conditarum. Prouerb. 16. v. 4. Omnia propter seipsum condidit Deus.

EXEMPLVM etiam ad quod res seu actio fit, efficiẽtis rationem habet, secundum Platonem in Thymeo, qui Idæam appellat. Seneca lib. 8. Epist. 66. Instrumenti Speciem vocat.

INTERDVM autem persona Efficiens ipsa personæ vel rei effectæ exemplum est. Sic Deus ad suam imaginem hominem condidit & ipsemet exemplum condendi hominis fuit. Gen. 1. v. 27. Creauit Deus hominem ad imaginem suam.

HOMO etiam ad suam imaginem hominem gignit. Genes. cap. 5. versu 3. Adam genuit filium ad similitudinem

nem suam & imaginem suam.

RES etiam rei exemplũ est in artificialibus. Exod.25. v.40. Vide vt facias omnia ad exemplum, quod tibi in monte ostensum est.

EXEMPLVM etiam caussa instituẽdæ vitæ est. 2. Pet. 2. v.21. Christus passus est relinquens nobis exemplum. Et 1. ad Tim. 4. v.12. Exemplum esto fidelium.

MATERIA etiam quatenus ante rem est, Efficientis rationem habet, vt est apud Ciceronem in Topicis, & de inuentione. Sed quia Materia rei compositę est: de ea in Diuisionibus & Partibus dicemus.

VNIVS rei plures sunt & esse possunt caussæ, quæ interdũ variis locis in Scriptura exprimũtur. Interdũ vno in loco plures exprimũtur: vt. 1. Reg. 22. v.23. Nũc igitur Ecce emisit Dominus spiritũ mẽdacij in ora omniũ Prophetarum tuorum: cogitat enim Dominus tibi malum. Hîc interitus Achabi tres caussæ recitantur. I. Dominus puniens peccata eius. Deinde Spiritus mendax. III. Pseudoprophetę Diaboli ministri & organa. Ad Rom. 3. v.24. Iustificamur Gratis eius gratia, per Redẽptionem factam per Iesum Christũ: quem proposuit Deus vt esset propitiatorium per fidem, per sanguinem ipsius: ad declarandam iustitiam suam, per Remissionem peccatorum præcedentium ex Dei tolerantia: ad declarãdam, inquam, iustitiam suam præsenti tempore: vt sit ipse iustus & iustificans eum, qui est ex fide Iesu. Hîc primùm iustificatio ipsa describitur, Quòd sit remissio peccatorum & imputatio iustitiæ Christi. Deinde iustificationis caussæ plures coniunguntur. I. Deus eiusque Gratia & Misericordia. II. Christus eiusq; sanguis & Redemptio. III. Fides in Christum.

CAVSSA per Accidẽs dicitur quã Effectus sequitur: Non

Non per se, aut nõ necessarió. Vt cùm effectus magis ex homine eiusque voluntate quàm ex reipsa pendet.

SIC lex peccati & mortis caussa dicitur. Ad Rom. 7. v. 20. Per legem peccatum fit excellenter peccatum. Et, Ad Rom. 4. v. 15. Lex iram operatur. 2. ad Cor. 3. v. 6. Litera occidit. Quod Paulus ad Rom. 7. v. 7. sic interpretatur: Quid ergo dicemus, Num lex peccatum est, absit. Imò peccatum non cognoui nisi per legem. Sed peccatum occasione sumpta seduxit me per mãdatum, & per illud occîdit me. Et, v. 10. Et mandatum quod ad vitam institutum erat, mihi ad mortem cessit.

SIC Christus & Euangelium dicitur caussa Gladij & discordiarum inter homines, quarum caussę sunt homines ipsi, qui doctrinam Euangelii repudiant. Matth. 10. v. 34. Non veni missurus pacem, sed gladium.

SIC Philosophia dicitur caussa deceptionis: cùm caussa vera sit in homine Philosophia abutẽte. Ad Coloss. 2. v. 8. Cauete ne quis vos per Philosophiam & inanem deceptionem deprædetur.

SIC scientia superbiæ caussa dicitur: cuius propria caussa est homo ipse, ex scientia insolescens, & alios despiciens, quibus scientia seruire deberet. 1. Cor. 8. v. 1. Scientia inflat: Charitas verò ædificat.

SAEPE etiam caussa falsa est & veræ caussæ dissimulantur & teguntur & caussa aliqua plausibilis foris ostenditur. Quod πρόφασις seu prætextus dicitur. Rhetores Translationem caussę vocant, & colorem rhetoricum: Thucidides σχῆμα πολιτικὸν λόγου: id est, figuram politicam sermonis. Atque hæc figura interdum officiosa est, & in vita penè necessaria: interdum admodum pernitiosa Sophistica est. Nam in vita communi interdum quædam prudentia & ingenij dexritas est, posse allegare verissimi-

verisimiles caussas, vt cùm aliquis non vult accedere ad odiosum negotium, vtitur excusatione valetudinis aut occupationum.

SIC Rachel, quæ idola patris furata erat, falsæ caussæ prætextu vtitur. Genes. 31. v. 34. Rachel accepit Idola & posuit sub clitellis Cameli & sedit super ea. Cumq; Labā perscrutatus esset omne tabernaculū & nusquam ea inuenisset, dixit illa ad patrem suū: Noli, Domine, ægreferre, quòd nequeā tibi assurgere: patior enim muliebria.

SIC Michol filia Saulis Dauidē excusat, quòd ad Saulē venire nō posset: Quia, inquit, ęgrotat. 1. Sam. 19. v. 14.

DEINDE etiam se hac ratione excusat quòd Dauidem dimisisset, ille inquit: Mortem mihi minatus est, nisi eum dimisissem, v. 17.

ALIAS autem perniciosa, crudelis & crueta Sophistica est. Vt cùm Tyranni suis suspicionibus & cupiditatibus prætexunt caussam aliquam popularem: & hoc prætextu homines innocentes è medio tollunt aut tollere conantur.

SIC Saul Dauidem vt hostem & insidiatorem sui & filij accusat atq; persequitur. 1. Sam. 20. v. 32. Iratꝰ autem Saul aduersum Ionathā: dixit ei: Fili matris adulteræ: nūquid ignoro quod diligis filium Isai in cōfusionem tuā. Quàm diu enim ille viuet, non stabilieris tu, neque regnum tuum.

SIC Christus falsò seditionis & hæreseos à Iudæis insimulatur. Luc. 23. v. 5. & Iohan. 19. v. 12.

SIC Herodes caussam interficiendi Iohan. odio suo prætexit iurisiurandi religionem. Matth. 11.

ATQVE hîc locum habet illud: Nō propter erratum pedis ad Cytharam.

EODEM modo faciunt Hæretici, qui nomine Dei &

Scriptura abutuntur: & dicunt se quærere Gloriam Dei & salutem hominum: cùm reipsa quærant suam gloriam & primatum in Ecclesia: & explere studeant priuatę vindictæ cupiditatem & aliis furoribus indulgeant.

SIC falsam caussã prohibitionis diuinæ ad Euã affert Serpẽs & Spirit⁹ mẽdax. Gen. 3. v. 5. Dixit Serpẽs ad Mulierẽ: Nõ moriemini: sed ideò Deus prohibuit: quia nouit futurũ: vt cùm ex ea arbore comederitis, oculi vestri aperiantur, & sitis similes Dijs scientes bonum & malũ.

IN his autem falsis caussis calumnia virulẽta est. Et ex caussis per Accidens: id est, non necessarijs & falsis atq; alienis oritur Fallacia secundum nõ caussam vt caussam. Elenchorum 1. cap. 4. & Rhetoricorum 2. cap. 22. apud Aristotelem.

EX caussis autem Res amplificatur, cùm res non simpliciter proponitur, sed caussæ etiam rei quamuis nõ sit necesse, exponuntur. Aut cùm rei caussæ, vel omnes vel pleræque enumerantur. Cuius rei exempla duo suprà posita sunt.

SECVNDVM ARGVMENTVM EFFECTVM.

EFFECTVM est quod res ipsa efficit. Quod & αἰτίατον, πρᾶξις, ἐνέργεια, ποίησις, γένεσις, κίνησις, ἔργον, ἔκβασις dicitur Græcis. Id est, Caussatum, Actio, Effectio, Generatio seu Ortus, Motus, Opus & Latinis Effectus, Euentum & Euentus. Atque huc Vsus & Finis fructus et officium interdum spectat. Opus enim rei cuiusq; etiam Finis dicitur, vt ait Aristoteles lib. 2. Ethicorum ad Eudemum. Atque huc etiam φθορὰ corruptio & interitus spectat. De hoc Argumento Cicero in Topicis: Vt caussa, inquit, Effectum indicat: sic quod Effectum est, quæ fuerit caussa demonstrat.

SIC Dei Effecta sunt res omnes creatę & bonę, mundus

dus & genus humanum, eorumque creatio & conseruatio. Ex quibus Effectis & Deum esse intelligimus & qualis sit. Ex creatura enim, & opere Deum opificem esse intelligimus. Et ex mundi magnitudine rerum pulcritudine, ordine & vsu, Dei potentia, sapientia & bonitas præsertim erga hominem conspicitur. Atq; in hoc Argumēto bona pars Theologiæ & Physica pia & sobria tota penè versatur. Ad Rom. 1. v. 20. Quod de Deo cognosci potest, ex rebus cōditis intelligitur: & ex creatione mūdi conspiciuntur æterna eius potentia & diuinitas.

HOC Argumento Ecclesiastes Dei timorem concludit, cap. 3. v. 14. Deus operatus est omnia, vt timeant homines à facie eius.

HOC Argumento Deus sæpissimè in Psalmis & Prophetis describitur, laudatur & celebratur. Psal. 8. v. 2. Iehoua Domine noster, quàm admirabile est nomen tuū in vniuersa terra. Quoniam video cœlos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam & Stellas, quas formasti.

MISERICORDIAE Dei magnitudinem hoc Argumento ex mundi & partium eius colligit Dauid. Psal. 36. vers. 6. Iehoua vsque ad cœlos Misericordia tua: & Veritas tua vsque ad nubes. Iustitia tua sicut montes Dei: iudicia tua sunt voragines profundæ. Homines & animalia seruas Iehoua. Et, Psalm. 103. vers. 11. Quantum eminet cœlum supra terram: tantum roborauit Dominus Misericordiam suam erga timentes se. Vers. 12. Quantum distat Oriens ab Occidente: tam procul remouet à nobis iniquitates nostras. Et, Psal. 29. Ex vi fulminis & tonitrui fragore potentiam Dei describit & potentes atque principes ad Dei timorem & Deum glorificandum hortatur. Afferte Iehouæ, filij fortium, afferte gloriā & fortitudinem, vox Iehouæ super aquas.

Deus gloriosus tonat. Sonitus eius frangit Cedros, & facit vt tremant montes.

HIS autẽ & similibus Argumẽtis plenus est liber Iobi. Vide cap. 36. 37. &c. Atq; hoc Argumento Idolis diuinitas detrahitur.

HOC argumẽto creationis Dauid etiã Dei prouidentiã confirmat, pios cõsolatur, Epicureos confutat & Tyrannos terret. Psal. 94. v. 3. Viduas & peregrinos interficiũt & pupillos occîdunt. Et, Cogitant Dominum non videre neque id intelligere Deum Iacob. Intelligite stupidi in populo, & vos fatui tandem sapite.

AN qui plantauit aures nõ audiet? An qui finxit oculos, nõ videbit? An qui docet Gentes non intelliget? An qui docet homines scientiam nõ cognoscet? Iehoua ergo cogitationes hominum vanas nouit & intelligit. Atq; idem Argumentũ Esaias cap. 29. v. 15. & 16. repetit.

HOC Argumẽto Idolis diuinitas detrahitur. Iere. 10. v. 11. Sic dicetis iis: Pereant Dij sub cœlo & de terra, qui non fecerunt cœlum & terram.

DEI etiam Effecta specialia sunt Ecclesiæ & piorum liberatio & cõseruatio, & multa & magna in Ecclesiã & pios publicè & priuatim collata beneficia. Quib9 argumentis, Deus sæpè etiã in psalmis præsertim celebratur.

SIC Dauid Psal. 103. Deum hoc argumẽto celebrat, eique gratias agit. Cuius exemplo & nos ipsi quotidiè ad gratias Deo agendas & gratitudinem & obediẽtiam Deo præstandam excitari debemus.

PROPOSITIO.

v. 1. Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt, nomini Sãcto eius.

2. Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnium beneficiorum eius.

ARGV-

ARGVMENTA & Effecta Dei plura & diuersa: primũ quidẽ Priuata beneficia erga Dauidem & quemuis aliũ.

3. Qui remittit omnes iniquitates tuas, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam. Qui coronat te misericordia & miserationibus. Qui satiat bono os tuum: & renouat vt Aquilæ iuuentutem tuã. Faciens iustitias Dominus, & iudicia omnibus iniuriam patientibus.

PVBLICA beneficia, patefactio Dei in Ecclesia.

7. Qui notas fecit vias suas Moysi: filijs Israël voluntatem suam.

8. Quòd sit misericors & clemens Iehoua patiens, & multæ miserationis, *&c.*

H*ORVM* autem Effectorum Dei Species quædam sunt miracula, quæ sunt opera diuina, quibus Deus in gratiam piorũ naturæ ordinẽ mutat, & cursum impedit.

S*IC* Mare rubrum in gratiam populi sui ex siccauit. Exod. 14. Et Iordanẽ, *&c.* Iosuæ, 3. Solem sistit ad preces Iosuæ, Iosuæ 10. Solem reducit in gratiam Ezechiæ, 2. Reg. 20. Saram sterilem fœcundat, Gen. 18.

H*OC* Argumento Dauid hostibus Ecclesiæ insultat. Psal. 115. v. 2. Vt quid dicẽt Gẽtes: vbi nũc est Deus eorũ? Certè Deus noster in Cœlo omnia quæ voluit fecit.

E*T* Ecclesiam cõsolatur. v. 9. Tu ergo Israël fide Deo. Nam auxilium & clypeus tuus est: q. d. Is te sæpè magnis miraculis liberauit

S*E* & Ecclesiam consolatur. Psal. 77. v. 1. In die angustiæ meæ Dominum quæro. v. 11. Et cùm penè despero recordor operum Iehouæ, & ita meipsum consolor.

V*TRVMQVE* autem Argumentum & Creationis, & Conseruationis Ecclesiæ sæpè in Psalmis & Prophetis coniungitur ad Deum celebrandum.

SIC Psal. 19. Primùm Creationis Effectus & beneficium est: Cœli enarrant gloriã Dei: & opera eius annunciat firmamentum.

DEINDE Beneficiũ patefactionis in Ecclesia. V. 8. Lex Iehouæ perfecta, animas recreat, Iehouæ Oracula fida ex infante reddũt Sapientem. Et, Psal. 136. Primùm propositio est: Celebrate Iehouam. Argumentũ Creationis: Qui fecit Cœlos affabrè, & extendit terram super aquas.

ARGVMENTVM Conseruationis Ecclesiæ. V. 10. Qui percussit Aegypti primogenita: & eduxit Israëlem de medio eorum. Atq; huius generis Psalmi sunt, 147. & 148. & alij.

HOC Argumento etiam Christus se Messiam esse docet. Matt. 11. v. 3. Profecti renunciate Iohanni ea quæ auditis & videtis à me fieri: Cæci visum recipiunt, Claudi ambulant, Leprosi mundantur, Surdi audiunt, Mortui excitantur, & Pauperes audiunt Euangelium. Et, Ioh. 5. v. 36. Opera quæ facio testantur de me, quòd pater misit me. Et, 10. v. 37. In vtramq; partẽ argumentatur Christus. Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere: Sin facio: etiãsi mihi nõ creditis, operibus credite.

HOMINIS Effecta varia admodum sunt. Ac primùm Homo hominis effectus est. Sic filius Patris, liberi Parentum, & posteri Maiorũ. Vt Iohannes est Zachariæ & Elizabetæ filius, Luc. 1. v. 1. Sic Christus Dauidis filius est secundum carnem, Matth. 22. v. 41. Et ad Rom. 1. v. 3

HOMINIS etiam Effecta sunt actiones & res variæ: vt Cogitationes, Consilia, Deliberationes, Dicta, Facta, Res gestæ, Artes, Artium Inuentio & Opera, quæ vel ratione sola vel ratione & manu expediũtur. Singulorum autẽ hominum singularia Effecta, vt Adami, Noë, Abrahami,

hami, Moysis, Dauidis, Christi, *&c.* Atq; huc omnis historia sacra & prophana spectat.

SPECIALIA autem & magis Theologica hominis Effecta sunt peccata & bona opera, seu vitia & virtutes. Quò spectat tota Legis doctrina & Ethica Christiana, & Philosophica. Et hæc Effecta seu officia pro vario vitæ humanæ genere rursum variant. Alia enim sunt Effecta & officia Oeconomica: & hîc alia Mariti, alia vxoris, alia Domini, alia Serui. Alia Politica, & hîc rursum alia Magistratus, vt benè administrare Remp. ex æquo & bono caussas dijudicare, vitam & salutem subditorum tueri: alia Subditorum, ut Magistratui obtemperare, & facultates ad communem pacem conferre. Alia Ecclesiastica & Scholastica. Atq; hîc rursum alia Docentium, alia Discentium, & sic de alijs.

HOC Argumento Christus petit se à Iohanne baptizari. Matt. 3. v. 15. Sine me nunc. Ita enim decet nos implere omnem iustitiam.

OFFICIA Ministrorum verbi & doctorũ in Epistolis Paulinis ad Tim. & Tit. exponuntur.

HOC Argumento Christus docet bonos & malos doctores cognoscendos esse. Matth. 7. v. 16. Ex fructibus ipsorum cognoscetis eos.

HOC Argumẽto honesta Matrona laudatur, Prouerb. 31. Capite ferè toto. Dabitur illi de fructu manuũ ipsius, & laudabunt eam in portis facta eius.

RES etiam rei Effectus est.

SIC Singulæ hominis partes suos habent effectus, oculus videt, auris audit, manus prehendit, pes ambulat.

HOC Argumento Iacobus hortatur, vt quisq; linguã suam diligenter frenet. Quòd lingua maximorũ bonorum & malorum caussa sit.

SIC

SIC Doctrinæ cœlestis Effectus est vita, & Saulus hominis. Deut. 30. v. 15. Ecce propono tibi hodie vitam & mortem. Item:

VERA animorum Cõsolatio. Psal. 119. v. 50. hæc est Cõsolatio in afflictione mea: quòd Verbum tuum viuificet me. Ad Rom. 15. v. 4. Quęcunq; scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeamus, 2. ad Tim. 3. v. 16. Quatuor Effecta Scripturæ recensentur, vt videlicet vtiles sit ad dogmata vera docenda & probãda, falsa dedocenda & refutanda: ad bonos mores suadẽdos & ad malos mores dissuadendos & corrigendos.

LEGIS vsus est, peccantibus peccatum reuelare & iram Dei ostendere. Ad Rom. 3. v. 20. Per Legem agnitio peccati. Et 4. v. 15. Lex iram operatur. Quare lex securis hominibus proponenda est. Resipiscentibus autem officia pietatis & charitatis præscribenda. 1. ad Tim. 1. v. 5. Finis præcepti est Caritas ex puro corde, *&c.* Quare & Lex semper in Ecclesia docenda est.

HOC etiam argumento peccata & vitia dissuademus: Virtutes & Bona opera suademus. Peccati Effectus est Mors & pœnæ omnis generis. Quare magnoperè fugiẽdum est. Ad Ephes. 5. v. 6. Ne quis vos seducat inanibus sermonibus. Propter hæc enim venit ira Dei super inobedientes.

EBRIETATEM hoc Argumẽto dissuadet Solomõ, Prouerb. 23. v. 29. Vbi Væ? vbi eiulatus? vbi querelæ? vbi vulnera sine caussa? vbi rubent oculi? hæc potatoribus. Ne igitur vinum aspicias, *&c.* tãdem enim velut serpens mordebit & velut aspis punget. Et, 20. v. 1. Quisquis ebrietate delectatur non erit sapiens.

AVARITIAE Effecta plurima mala sunt. Quare cacauenda

cauenda est maximè ministris Ecclesiæ. 1. ad Tim. 6. v. 10. Auaritia radix est omnium malorum.

PIETATIS Effectus sunt præmia omnis generis à Deo pijs ex Gratia proposita: Quare studiosè colēda est. 1. ad Tim. 4. v. 8. Exerce teipsum ad pœnitentiam. Pietas enim ad omnia vtilis est: habet enim promissionē præsentis & futuræ vitæ.

BENEFICENTIAE erga inimicos Effectus resipiscentia inimici est. Quare beneficia etiam in inimicum cōferēda sunt. Prouerb. 25. v. 22. Si esurit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, da potum. Hoc enim si feceris carbones ignitos coaceruabis in caput eius.

CRVCIS Effectus est domare carnem & efficere vt doctrina cœlestis rectiùs intelligatur: Quare æquo animo ferenda est. Psal. 119. v. 71. Bonum mihi quod humiliasti me, vt discerem iustificationes tuas.

SVNT & Effectus nō necessarij, vt Legis augere peccatum, doctrinæ inflare hominem: sunt & falsi, vt quod Christus dicitur Seditionis & hæreseos autor à Iudæis. Vnde & Fallacia secundū non Effectum vt Effectum dici posset, more Aristotelico. Sed hęc ex caussis intelligi & repeti possunt. Atq; hactenus de secūdo Argumento.

TERTIVM ARGVMENTVM, SVBIECTVM.

SVBIECTVM est Argumētum quod rei subijcitur. Quod à Græcis ὑποκείμενον *dicitur. Atq; huc spectat totū Prædicamentum Substantiæ: Itē Obiectū quod dicitur & Materia, quam vocant Circa quam. Nam & Cicero de Inuentione: Materia, inquit, medicinæ vocamus morbos & vulnera. Atq; huc spectant Nomina Substātiua in Grammatica. Cùm autē Sub-*

stantiuum à Substantiuo regitur: Subiectum ferè per Genitiuum exprimitur. Sæpè autem Efficiens etiam Subiectum est: cùm res effecta ab efficiente sustentatur, & possidetur & efficientis tutela & potestate manet. Hinc ergo intelligitur sine Subiecto Adiunctum esse non posse.

D*EI* ergo nullum est Subiectum propriè. Sed Deus ipse Creaturæ & rerũ omnium, inprimis Ecclesiæ Subiectum est, Quòd omnia sustentet & in sua potestate habeat. Psal. 24. v. 1. Iehouæ est terra & plenitudo eius: orbis & habitantes in eo. Quia ipse super maria fundauit eam, & super flumina firmauit eam.

H*INC* Angeli, Dei Angeli dicuntur. Iosuæ 6. v. 22. Perij, quia vidi Angelum Dei à facie ad faciem.

E*T* Ecclesia Dei dicitur. Psal. 144. v. 15. Beatus populus est, cuius Deus est Iehoua.

C*HRISTVS* est Ecclesiæ Subiectum. Ad Eph. 2. v. 20. Aedificati super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, cuius imus angularis lapis est Christus.

I*DEM* etiam doctrinæ cœlestis Subiectum seu Obiectum est. 1. Cor. 3. v. 11. Nemo potest aliud fundamentum ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Ad Rom. 1. v. 3. Paulus separatus ad prædicandum Euangelium, quod est de filio Dei.

H*OMO* etiam Dei Subiectum dicitur. Et homines pij templa Dei & Spiritus S. in ijs habitãtis & efficacis. Atq; hoc Argumento Paulus docet non esse inficiendos homines falsa doctrina. 1. ad Cor. 3. v. 16. An nescitis quod templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis ergo templum Dei violat, hunc perdat Deus. Nam templum Dei sanctum est, quod estis vos.

H*VC* etiam Argumentum Christi referri potest, quo probat Christus hominum mortuorum resurrectionẽ,

quòd

quòd mortui, Dei esse & Deũ habere dicãtur. Matt. 22. v. 8. De Resurrectione verũ mortuorũ nõ legistis, quod vobis dictum à Deo dicente: Ego sum Deus Abrahami, Deus Isaaci & Iacobi: Deus enim nõ est Deus mortuorum, sed viuorum: q. d. qui nihil sunt, ij Deum habere nõ possunt. Quare si Deus est Deus Abrahami mortui, *&c.* mortui sunt aliquid & ex parte viuunt, & aliquãdo prorsus viuent atq; resurgent.

HOMO etiam hominis Subiectũ est. Sic Coniunx Cõiugis, Pater Filij, Avus Nepotis, Frater Fratris, Socer Generi, Socrus Nurus, Cognatus Cognati, Affinis Affinis. Sic Dominus Serui, Magistratus Subditorũ, Dux Exercitus, & militũ, Pręceptor Discipuli. Doctor Auditorum, Deniq; Hospes Hospitis, Amicus Amici, Socius Socii, Vẽditor Emptoris & Locans Cõducẽtis, *&c.* Michee 7. v. 6. Ne fidẽ habeatis familiaribus: ne confidatis ducibus: ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi ostia oris tui. Quia Filius vituperat Patrem, Filia insurgit in Matrẽ, & Nurus in Socrum suã: & inimici sunt viri domestici eius. Matt. 10. v. 36. Nam veni vt dissidere faciam hominem aduersum Patrẽ, & Filiam aduersus Matrem suã, & Nurus aduersus Socrum suam, & inimici hominis erunt qui sunt domestici eius. Quibus duobus locis magna discordia & perfidia inter homines hoc genere Subiectorum, & Adiunctorum describitur.

HOMO etiam rei Subiectum est: vt, Vestium, liberorum, honoris, famæ, infamię, nominis, paupertatis, diuitiarum & rerum omnium, quas possidet. Item peccati & Mortis. Ad Eph. 2. v. 3. Eramus natura filij iræ.

SIC Dominus timoris Subiectum est, Pater amoris. Mal. 1. v. 6. Si Ego sum Dominus, vbi timor meus? Si Pater, vbi amor meus?

RES Dei Subiectum est.

SIC corpus humanum Dei templum est. Quo Argumento Paulus scortationem prohibet. 1. ad Cor. 6. v. 18. Fugite scortationem: Omne enim peccatū quod facit homo extra corpus est. Sed qui scortatur in propriū corpus, peccat. Annón nostis quod corpus vestrum templum est Spiritus S. qui habitat in vobis.

RES etiam hominis Subiectum est: vt Materia fabrorum, aurum aurificis, *&c.*

RES etiam rei Subiectum est: vt Thesaurus cordis & cogitationis humanæ, Matth. 6. v. 21. Vbi est Thesaurus: ibi & cor tuum.

SIC Res de qua sermo est, Sermonis & doctrinę Subiectum est. Sic partes hominis rerū Subiecta, vt Anima peccati, Pœnitentiæ, Iustitiæ, Fidei, Scientiæ, Ignorantię, Virtutis, Vitij, Corpus sanitatis, Morbi, Roboris, Infirmitatis, Pulchritudinis, Deformitatis.

RES sensiles sensuum Subiecta sunt, vt Lux & color oculorum & visus. Sonus aurium & auditus.

RES expetendæ & fugiendę vitiorum & virtutū, peccatorum & bonorum operum Subiecta sunt: vt, Opes liberalitatis & auaritiæ: Voluptates temperantiæ & intēperantiæ: Pericula magnanimitatis & ignauiæ: Crux & calamitates patientiæ.

ARTIVM Subiecta sunt Res, quæ artibus tractātur: vt res numerabilis Arithmeticæ, mensurabilis Geometrię.

LOCVS etiam Locati Subiectum est. Atq; huc spectat Prædicamentum VBI.

SIC Dei Locus est Cœlum. Esa. 66. v. 1. Cœlum sedes mea est, Terra autem scabellum pedum meorum.

HVC Patria hominis spectat. Sic Iudæa & Bethlehem Christi patria est.

TEMPLVM precum Locus est. Esa. 56. v. 7. Domus mea

mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus.

SVNT & falsa Subiecta: vt Hypocrita pietatis. Et, Galilæa patria Christi. Iohan. 7. vers. 41. Nunquid à Galilæa Christus veniet? Et. 52. Scrutare & vide ex Galilæa Prophetam non surrexisse. Vnde Fallacia dici potest more Aristotelico Secundum non Subiectum vt Subiectum, seu falsi Subiecti Fallacia.

QVARTVM ARGVMENTVM, ADIVNCTVM.

ADIVNCTVM est Argumentum quod rei adiungitur. Et ab Aristotele συμβεβηκὸς, πάθος πάθημα, περιουσία, περίστασις: id est, Accidens, Affectio, Circumstãtia. Quãquam Accidens eidem etiam Effecta & comparata complectatur. Cicero Adiuncta, Antecedentia, Cõsequentia & Signa appellat.

Huc ergo spectant in Dialectica Prædicabilia duo: Proprium & Accidens: Prædicamenta autem sex, Qualitas, Quantitas, Paßio, Vbi, Situs & Habitus. Item Loci seu Argumenta Adiacentium, Connexorum, Contingentium, Circumstantiarum, communiter Accidentium. In Grammatica, Nomina Adiectiua et cùm Substantiuum à Substantiuo regitur, id Substantiuum quod Genitiuo adiungitur. Abstractum etiam Concreti species est.

Effectus autem sæpè etiam Efficientis Adiunctum est: cùm Effectus in Efficientis tutela, potestate & poßeßione manet. Atq; hinc intelligi potest, posito Adiuncto, neceßariò ponendũ eße Subiectum, & Adiunctum sine Subiecto existere non poße.

EXEMPLA.

DEI Adiuncta sunt Creaturæ omnes & inprimis Ecclesia & pij. Exod. 19. v. 5. Nunc ergo si obedieritis voci

meæ, & custodieritis pactum meum: eritis mihi thesaurus dilectus prę omnibus populis. Quia mea est vniuersa terra. Vos autem eritis mihi regnum Sacerdotale & Gens Sancta.

DEI etiam adiuncta sunt, saltem καθ' ἀνθρωποπάθειαν, Virtutes & Affectus. Vt Misericordia, Veritas, Ira. Sic Deus ab Adiunctis & Effectis describitur. Exod. 34.v.6. Et transiuit Iehoua ante Mosen, & clamauit: Iehoua, Iehoua est fortis, misericors & miserator, tardus ad iram, & multus misericordia & veritate. Et, Psal. 103.v.7. Notas fecit vias suas Moysi, filijs Israël opera sua. Quòd sit misericors & clemēs Iehoua, patiēs & multæ miserationis. Esa.6.v.3. Sāctus, Sāctus, Sāctus Iehoua exercituū.

HOC Argumēto Dauid veniam suorum peccatorum à Deo petit, & nos etiam quotidiè petere debemus. Psal. 51.v.1. Miserere mei Deus, secundum magnam Misericordiam tuam.

HOC Argumēto Moses à peccatis dehortatur. Deut. 4.v.24. Deus noster ignis cōsumens est. Et idem à vindicta. Deut. 12.v.16. Meum est vlcisci, inquit Dominus, & ego retribuam.

SVNT & Dei Attributa, Negātia, vt Incorporeus, immortalis, inuisibilis.

DEVS etiā primum hominum Adiunctū est. Gen. 17. v.7. Ero Deus tuus & seminis tui in seculum.

ATQVE huc referri potest Argumētum Christi, quo probat resurrectionem mortuorum ab Adiuncto Dei. Matth.22.v.8. De resurrectione mortuorum non legistis quod vobis dictum est à Deo dicēte: Ego sum Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi. Deus autem non est Deus mortuorum, sed viuorum.

CHRISTVS ab Adiunctis passim describitur.

SIC

SIC recens nati Adiunctum erat Stella. Matth. 2. v. 2. Vidimus enim Stellam illius in Oriente.

ET baptizati, Spiritus super eum descendens. Ioh. 1. v. 33. Vidi Spiritum descendentem, &c.

ET in vita paupertas. Matth. 8. vers. 20. Filius hominis non habet vbi reclinet, &c.

ET in Doctrina Veritas. Matth. 22. v. 16. Magister, scimus quod verax es.

ET in tota vita innocentia. Iohan. 18. v. 38. Nullum crimen inueni in ipsum.

HOC Argumento autor ad Hebræos concludit Christum misericordem esse erga miseros. Ad Hebr. 2. v. 18. Debuit per omnia similis esse fratribus, vt esset misericors & fidelis pontifex. Ex eo enim quod passus est & tẽtatus: potest & ijs, qui tentantur succurrere.

HOMO pius Dei & Christi Adiunctum est. Ad Rom. 14. v. 8. Siue viuimus siue morimur, Domini sumus. 1. ad Cor. 3. v. 21. Vos estis Christi: Christus autem Dei.

HOMO etiam hominis Adiunctum est: vt, Coniunx Coniugis. Filius patris. Frater fratris. Amicus amici, & sic de alijs, quæ ex Subiectis intelligi possunt.

HOMO etiam rei Adiunctum dicitur. Ioh. 8. v. 34. Qui facit peccatum, peccati Seruus est.

HOMINIS autem Adiuncta sunt res variç: vt, Genus, Nomẽ, Sexus, Aetas, Aeducatio, Fortuna, Diuitiæ, Honores, & his contraria: animi & corporis Bona & Mala. Ac tãdem Mors & quæ Mortẽ consequuntur. Item, magis Theologica, peccatum, crux & variç persecutiones. 2. ad Tim. 3. v. 12. Omnes qui volũt piè viuere in Christo persecutionem patientur.

LIBERORVM proprium Adiunctum est ius adeũdæ hæreditatis. Ad Rom. 8. v. 30. Si filij estis, etiam hæredes.

PIORVM & credentium Adiunctum est tranquilla conscientia & spes bona. Ad Rom. 5. v. 1. Iustificati fide pacem habemus erga Deum.

IMPIORVM contrà Adiunctum est mala conscientia & metus perpetuus. Esa. 48. vers. 22. Nulla est pax impiis.

RES etiam rei Adiunctum est.

SIC Doctrinæ cœlestis adiuncta sunt Miracula & Sacramenta. Rei speratæ, Fides & Spes. Promissio, rei promissæ. Et, Vaticinium rei prædictæ Adiunctum est. Comminatio Pœnæ, Typus & Allegoria rei significatæ. Sensus, Affectus, Actio Dei & Hominis Adiunctum est eius rei quæ Sensui, Affectui, & Actioni subijcitur.

TEMPVS speciale est personæ & rei adiunctum, vt Locus Subiectum fuit. Sic tempus nati Christi describitur. Luc. 2. v. 1. & 2.

HOC Argumento Petrus probat Apostolos non esse ebrios. Act. 2. v. 15. Hi non sunt ebrij: Quia est hora diei tertia.

SVNT & Adiũcta nõ necessaria & falsa. Multa enim, vt dici solet, de Subiecto dicũtur, quę nõ sunt in Subiecto: vt Pietas de Hypocrita, Seditio & blasphemia in Christo. Homicidium in Paulo, vt est in Actis. Atq; hinc Fallacia Accidẽtis & Cõsequentis ex parte ab Aristotele in Elenchis facta est. Et in Genere hinc Fallacia more Aristotelico secundum non adiunctum vt adiunctum. Seu falsi adiuncti fallacia. Seu potiùs falsum adiunctum, & ex eo natum mendacium seu propositio falsa inde orta.

ATQVE hæc quatuor Argumenta, Caussæ, Effectus, Subiecti, Adiuncti, rei consentanea argumẽta sunt. Vnde quiduis alteri Cõsentaneum vel vnum vel idem dici possit. Omnesque modi vnitatis, & vt ita dicam, Identi-

tatis

tatis huc tanquam ad primos & simplices fontes sunt referendi. Atque ex his quatuor Argumentis, primus Tropus Metonymia descriptus est.

QVINTVM ARGVMENTVM, DISSENTANEVM.

DISSENTANEVM est Argumentum quod à re dissẽtit. Quod & Diuersum, Disparatum, Differens, Oppositum, Aduersum, Pugnans, Contrarium, Cõtradictorium seu Contradicẽs dici potest. Quare huc spectãt omnia Argumẽta, quæ his nominibus appellari solẽt: & alij quidam, vt ab Absurdo, à Cõtrario sensu, Inuersio, βίαιον, et alij similes. Etsi enim hæc distingui possũt & solent et in species varias diuidi: tamen ad vsum et explicationẽ Argumẽti, Distinctio non admodum necessaria est. Omne enim Argumentum huius Generis Dissentanei titulo comprehendi et exprimi potest. Vnde & Philippus in Rhetoricis de Contrarijs: Variè, inquit, conferuntur contraria: Sed Nos vno titulo ἀντίθεσις plerasq; alias species comprehendimus. Nam illa nimis exiliter concisa specierum partitio, obscura est. Relata quæ hîc recitari solent omnium argumentorũ sunt, vt suprà ostensum est. Interdũ autem vni plura opponũtur, quæ specialiter Disparata seu Diuersa dici possunt: vt cùm homini opponuntur auis, piscis, arbor, lapis, &c. Interdum autem vnum vni opponitur. Atque hæc specialiter Opposita, Aduersa, Contraria, Pugnantia, &c. dici possunt: vt, Deus & Diabolus, Amicus, Inimicus, Bellum, Pax, Vita, Mors, Iustitia, Iniustitia, Vigilare, Dormire, Bonus, Malus, Benè, Malé.

Interdum autem hæc Dissentio in ipsis vocibus solis continetur, vt in his modò dictis. Interdum autem adiectione Aduerbij Negatiui exprimitur: vt, Bonus non Bonus, videre non videre. Interdum etiam Coniunctionibus: vt, autem, ast, etsi, verum,

rum, sed, tamen, quanquam, quamuis, & eiusmodi alijs exprimitur. Relatio autem inter rem & Argumētum hîc ἀντίθεσις seu Contentio & à Dialecticis Oppositio dicitur. Omnes autem res ferè partim inter se consentiunt: partim dissentiunt: sed diuerso respectu. Eodem enim respectu consentire & dissentire res duæ non possunt.

EXEMPLA HVIVS ARGVMENTI.

SIC Deus & Idola opponuntur. Esa. 42. v. 8. Ego Iehoua & hoc nomē meum est: Gloriam meam alteri non dabo: nec laudem meam sculptilibus.

DEVS & Dæmonium. 1. Cor. 10. v. 20. Quę immolāt, Gentes, Dęmonijs immolant, nō Deo. Nolo autem vos Dæmoniorum participes esse. Non potestis poculum Domini bibere & poculum Dæmoniorum: Non potestis mēsæ Domini participes esse & mēsæ Dæmoniorū.

DEVS itē & Māmō. Matt. 6. v. 24. Nemo potest duob⁹ Dominis seruire, non potestis Deo seruire & Māmonæ.

DEVS & Homo. Oseę 11. v. 9. Non faciam secundum iram furoris mei. Quia Deus sum & non homo.

QVALE est & illud Esa. 55. v. 8. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ sunt: nec viæ vestræ viæ meæ. Psal. 115. v. 1. Non nobis Domine non nobis: sed nomini tuo da gloriam. Matth. 16. v. 17. Beatus es Simō Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi: sed Pater meus qui est in cœlis. Ad Rom. 3. v. 4. Sit Deus verax: omnis autem homo mendax.

DEVS & humana præsidia. Psal. 20. v. 8. Hi curribus, hi equis fidunt: Nos autem nomen Domini Dei nostri memorabimus.

CHRISTVS & Belial opponuntur. 2. Cor. 6. vers. 14. Nolite iugū ducere cum infidelibus. Quod enim cōsortium Iustitiæ cum Iniustitia? aut quæ cōmunio luci cum

tenebris? Quæ concordia Christo cum Belial, *&c.*

CHRISTVS & Moses. Iohan. 1.v. 17. Lex per Mosen data est: Gratia & Veritas per Christum Iesum facta est. Et 5.v.45. Ne putetis me accusaturũ vos apud Patrem. Est qui vos accuset Moyses.

CHRISTVS & homo. Ad Gal. 1.v.1. Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem: sed per Christum & Deum Patrem. Et v.10. Si hominibus placerem, Christi Seruus non essem.

E*T* Christi sanguis, auro & argento opponitur. 1. Pet. v.18. Etenim redempti estis non caducis rebus auro aut argẽto: sed precioso Sanguine Agni immaculati Christi.

H*OMO* Homini opponitur. 1. Reg. 18.v.18. Non ego perturbo Israëlẽ: sed tu perturbas. 1. Cor. 3.v.4. Etenim cùm dicit aliquis: Ego quidem sum Pauli: alter verò, ego sum Apollo. Nónne carnales estis?

E*T* Dominus filio opponitur. Matth. 22.v.45. Si Dauid vocat Christũ Dominum, quomodo filius eius est?

E*T* Seruus & Filius Dissentanea sunt. Ad Galat. 4.v.7. Itaque non ampliùs estis Serui, sed Filij.

E*T* Seruus & Amicus. Iohan. 15.v.15. Vos amici mei eritis, si feceritis quæ mando vobis, tunc non ampliùs dicam vos Seruos, sed Amicos.

S*PIRITVS* & Corpus opponuntur. Lucæ 24.v. 39. Spiritus nõ habet carnẽ & ossa sicut me videtis habere.

R*ES* rei opponitur, & Nomen rei.

N*OMINI* rei. Psalm. 34.v.15. Declina à malo: & fac bonum. Psalm. 113.v.5. Deus in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & terra. Esa. 5.v. 20. Væ ijs qui dicũt bonum malum & malum bonum. Matth. 7.v.9. Quis est ex vobis qui filio petenti panem, det lapidem: aut piscem petenti, det serpentem.

Iohan.1.verſ.17. Lex per Moyſen data eſt: ſed Gratia & veritas per Chriſtum facta eſt. Ad Rom.4.v.25. Chriſtus traditus eſt propter peccata noſtra: ſed excitatus eſt propter iuſtificationem noſtri. Et, 8.v.6. Intelligentia carnis mors eſt: Intelligentia verò Spiritus, vita & pax eſt. Et, v.13. Si ſecundum carnem vixeritis moriemini: ſi Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et, 11.v.6. Quod ſi per gratiam iam nō ex operibus, alioquin Gratia non eſt Gratia. Sin ex operibus iam non eſt Gratia. Alioquin opus non eſt opus. Et, 13.v.12. Nox abiit, Dies adeſt. Abjiciamus ergo opera tenebrarum & induamus arma lucis. 1.Cor.3.verſ.12. Quòd ſi quis ſuperædificet ſuper hoc fundamētum, aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulas: cuiuſque opus manifeſtum fiet. 2.Cor.3.v.6. Litera occîdit: Spiritus autem viuificat. Et, 6.v.8. Incedimus per gloriā & ignominiam: per cōuitia & laudes: vt ſeductores & tamen veraces: vt Ignoti & tamen noti: vt morientes & tamen viuentes. Ad Gal.2.v.16. Sciētes non iuſtificari hominem ex operibus Legis: ſed per fidem Ieſu Chriſti. Et 3.v.18. Si ex Lege eſt hæreditas: iam non ex promiſſione. Et, 5.v.17. Spiritu ambulate: & concupiſcentias carnis ne perficiatis. Caro enim concupiſcit aduerſus Spiritum: Spiritu aduerſus carnem. Hæc autem inter ſe oppoſita ſunt. Porrò manifeſta ſunt opera carnis, adulterium, *&c.* At fructus Spiritus eſt Caritas, *&c.* Iac.3.verſ.10. Ex eodem ore prodit benedictio & maledictio. Non oportet fratres mei hoc ita fieri. 1.Petr.3.verſ.3. Matronarum piarum ornatus eſſe debet, non externus ille in nodis capillorum: in circumpoſito auro, & palliorum amictu: ſed occultus ille cordis homo, nempe incorruptus, lenis & quietus Spiritus.

Et:

Et in Adiectiuis.

Prouerb.10.v.1. Filius ſapiens exhilarat patrem: ſtultus verò dolore afficit matrem. Et, 11.v.24. Alij diuidunt propria & diuites fiunt: alij rapiunt aliena, & manent pauperes. Et, 12.v.11. Via ſtulti recta eſt in oculis eius: Sapiens autem audit aliorum conſilia. Et, 15. v.1. Reſponſio mollis frangit iram: Sermo autem durus ſuſcitat furorem. Et, 17.v.22. Animus lætus ſalutaris medicina eſt: triſtis autem exſiccat oſſa. Matt. 7.v.17. Intrate per anguſtam portã. quia lata eſt porta, *&c.* quæ ducit ad interitum: & multi per eam ingrediuntur. Anguſta verò porta eſt, *&c.* quæ ducit ad vitam, & pauci eam inueniunt. Ad Rom.9.v.25. Vocabo populum meũ qui meus non eſt. Iacob.3.v.15. Nõ eſt iſta Sapientia ſupernè deſcendens: ſed terrena, animalis, Dæmoniaca.

Et in Verbis.

Matt.13.v.19. Habenti dabitur & augebitur: ab eo verò, qui non habet, tolletur etiam quod habet. Marc.16. v.15. Qui crediderit, ſeruabitur: qui non crediderit, condemnabitur. Ioh.1.v.20. Confeſſus eſt & non negauit. Ad Rom.6.v.2. Qui mortui ſumus peccato: quomodo ei viuemus? 2.Cor.4.v.8. In omnibus premimur, ſed nõ opprimemur: vexamur, ſed nõ deſerimur: deijcimur, ſed non perimus.

Et in Aduerbijs.

Matt.12.v.30. Qui non eſt mecum: aduerſum me eſt. Et, 18.v.22. Non dico ſepties, ſed ſeptuagies ſepties.

D*ISSENTANEORVM* oppoſitio quę pluribus mẽbris conſtat, interdum fit eodem verborum ordine, vt in his iam recitatis. Interdum autẽ diuerſo: vt, Prouerb. 13.v.12. Spes quæ differtur affligit animam: Lignum autem vitæ deſiderium veniens. Et, v.24. Qui parcit Virgę,

odit filium ſuum: qui autem diligit illum, inſtanter erudit. Ioh. 8. v. 47. Qui ex Deo eſt verba Dei audit. Propterea vos non auditis: quia ex Deo non eſtis. Et, 14. v. 21. Qui habet mandata mea & ſeruat ea, ille eſt qui me diligit. Si quis autem odit me, mandata mea contemnit.

SVNT & falſa Diſſentanea: vt ſi quis dicat Chriſtum non eſſe Deum, ſed hominem: aut eum non eſſe formoſum qui niger ſit. Chriſtus enim, & Deus & homo eſt. Et aliquis ex Sole niger eſſe poteſt & tamē formoſus. Cant. 1. v. 5. Nigra ſum, ſed formoſa.

AT*QVE* hinc Fallacia dici poteſt Secundum non Diſſentaneum vt Diſſentaneum, ſeu falſi Diſſentanei. Huius autem Argumenti magnus eſt vſus. Hinc enim Contradictio propoſitionum oritur. Hinc Captionum præſertim, quę in dictione fiūt, Refutatio & Solutio exiſtit. Elēchorum lib. 2. cap. 3. Hinc pugnantium locorum in Sacris literis reconciliatio. Si enim oſtēditur non eſſe eundem reſpectum vtriuſq; loci, diſſentio tollitur. Hinc deniq; varia Schemata & Figuræ amplificationum à Rhetoribus factæ ſunt. Hinc Deniq; Tropus Secundus Ironiæ factus eſt.

SEXTVM ARGVMENTVM,

COMPARATVM.

COMPARATVM eſt Argumentum quod cum Themate cōparatur. Et Top. 1. v. 13. σύμβλητον. Et Relatio inter Thema & Argumentum hîc Græcè παραβολὴ: id eſt, Comparatio ſeu Collatio dicitur. Et Top. 1. v. 3. σύγκρισις Collatio dicitur. Comparata autem interdum breuiùs ſingulis vocibus aut notis etiam quibuſdam indicantur: Interdum inte-

gris

gris sententijs exprimuntur vbi duæ ferè Collationis sunt partes. Quarũ prior πρότασις: id est, Propositio: altera ἀπόδοσις: id est, Redditio dicitur. Fit autem Comparatio in adiuncto Speciali, nempè Qualitate aut Quantitate.

Comparatũ igitur duplex est: Consentaneũ & Dissentaneũ. Cõsentaneũ est quod vt cũ themate consentiens sumitur. Estq́ duplex, Simile & Par. Simile est, cuius eadẽ est qualitas, quod et Proportionale seu ἀνάλογον dicitur, vt & Similitudo ipsa proportio seu Analogia: & Simile etiam specialiter, Exemplum & Parabola dicitur. Vulgò quidem Parabola dicitur ea tantũ Similitudo quæ obscurior est & altè repetita, vt sunt Christi Parabolæ apud Euangelistas Matt. 20. & alibi. Quibus omnibus vel Ecclesia, quæ Regnum Cælorum appellari solet: vel Ecclesiæ gubernator Deus & Christus describitur. Sed vox ipsa Parabolæ Generalis est, & generaliùs pro Comparatione & comparato Argumento accipi potest. Cùm autem plura similia coniunguntur, Inductio dici potest.

Simile interdum notis quibusdam certorum verborum exprimitur. Cuiusmodi sunt Exemplum, Parabola, Similitudo, Imago, Effigies, more. Similis, Par, Idem, Talis, Qualis. Imitari, Referre, Exprimere: & Aduerbia Similiter, Instar, Vt, Vti, Sic, Sicut, Sicuti, Tanquã, Seu, Quasi, Velut, Veluti, Perinde ac: & Negatio dissimilitudinis haud Secus, Non aliter cum Synonimis. Interdum autem Argumentum sine his notis exprimitur, quod in Sacris literis frequentissimum est, idq́ ex consuetudine Hebraicæ linguæ, in qua particula Similitudinis sæpissimè omittitur, vt in Phrasibus Hebraicis in Aduerbio dictum est. Interdum Simile vna voce continetur, vt, cùm Deus Ignis dicitur. Deut. 4. v. 24. Pro, Igni similis. Aut cùm Christus Agnus dicitur, Ioh. 1. v. 39.

Aut cùm Malus Doctor Lupus dicitur. Matth. 7. v. 15. & Act. 20. v. 29. Et Pij, Oues Dei. Psal. 100. v. 3. In his autem et

Argumen-

Argumentum & Tropus Metaphoræ est: unde & Tropus descriptus est. Interdum autē Simile integra sententia exprimitur, & plena Similitudo dici potest. Et hîc vel tres termini: & Similitudo Coniuncta dici potest: unus enim terminus bis repetitur, ut, ad Ephes. 5. v. 23. Vir caput est mulieris: sicut Christus Caput est viri. Hîc tres termini sunt Christus, vir, & mulier: vel quatuor termini sunt: & similitudo disiuncta dici potest. ad Eph. 5. v. 25. Viri diligite uxores vestras: sicut Christus dilexit Ecclesiam. Hîc quatuor termini sunt viri, uxores, Christus, Ecclesia.

EXEMPLA.

DEVS cum varijs rebus confertur: primùm ex Misericordia. Psalm. 103. v. 13. Sicut pater afficitur erga liberos: ita Dominus afficitur erga timentes se. Esa. 40. v. 11. Iehoua sicut pastor gregem suum pascet, Brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo portabit. Deut. 32. v. 11. Vt Aquila nidum suum ad volandum excitans; se supra pullos suos vibrat: alisq; passis exceptos, pennis suis tollit: Sic Iehoua populum suum in deserto deduxit.

ET Misericordia Dei cum Cœli altitudine confertur. Psal. 103. v. Quoniam secundum altitudinem Cœli, roborauit Dominus misericordiam suam erga timētes se.

EX potentia & ira. Psal. 78. v. 65. Excitatus est Dominus è somno tanquam dormiens: & tanquam heros è vino vociferans: & hostium suorum terga cecîdit. Deut. 4. v. 24. Cauete vobis ne obliuiscamini pacti Iehouæ. Nā Iehoua Deus tuus Ignis consumens est. Ierem. 18. v. 6. Nunquid sicut figulus iste non potero facere vobis domus Israël ait Iehoua? Ecce sicut lutum in manu figuli: Sic estis in manu mea domus Israël.

CHRISTVS cum varijs rebus confertur, ac in primis cum Typis Veteris Testamenti: unde & officiū eius concluditur.

cluditur. Eſt autem Typus ſpecialiter Perſona, res aut actio olim ad hoc ipſum à Deo propoſita, vt futura quædã ſignificaret: inprimis de Chriſto & Eccleſia. Sic Summus Sacerdos, Agnus Paſchalis, Tabernaculũ, Serpens æneus, & ſimilia Typi Chriſti fuêre, vt eſt in Epiſtola ad Hebręos. Ioh. 3. v. 14. Sicut Moyſes exaltauit Serpentem in deſerto: ita extolli oportet Filium hominis, &c. Matt. 12. v. 40. Sicut enim fuit Ionas in ventre Ceti tres dies & tres noctes: Ita & Filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes.

CONFERTVR & cum alijs rebus. Ioh. 12. v. 24. Niſi granum Frumenti cadens in terram mortuum fuerit ſolum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fert fructum, &c. Matt. 23. v. 37. Quoties volui congregare te ſicut gallina congregat pullos ſuos.

SIC ſe confert Paſtori. Ioh. 8. v. 14.

ET Viti, 15. v. 11.

HOMO Deo ſimilis eſt, vt qui ad Imaginem Dei creatus eſt. Gen. 1. v. 27. Ad imaginem Dei creauit illum.

ET idem Dei ſimilis eſſe debet. Quo Argumẽto Scriptura hominem ad Sanctitatem & virtutes omnis generis hortatur. Leuit. 19. v. 2. Loquere ad vniuerſum cœtũ Iſraël & dic ei: Sancti eſtote, quia Ego ſanctus ſum Deus veſter. Matth. 5. v 48. Eſtote perfecti, vt Pater veſter qui in cœlis eſt. Ad Eph. 4. v. 32. Eſtote alij in alios benigni, Miſericordes, condonantes vobis mutuò offenſas, ſicut & Deus in Chriſto condonauit vobis. 1. Pet. 1. 15. Sicut qui vocauit vos Sanctus eſt: ita ipſi quoque in omni conuerſatione ſancti ſitis.

HOMINES etiam propter dignitatem, vt principes, cum Deo conferuntur. Pſal. 72. v. 1. Deus ſtat in cõgregatione Deorum & in medio Deorum iudicat. Et, v. 6.

Ego dixi Dij estis & filij excelsi omnes.

PII Etiam Christi similes esse debent. Quo etiam Argumento Christus ipse & Apostoli sæpè vtuntur ad Caritatem & alia officia suadenda.

AD Caritatem. Iohan. 15. v. 12. Diligite vos inuicem, vt Ego dilexi vos. Ad Ephes. 5. v. 2. Ambulate in dilectione: sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis.

AD Humilitatem. Matt. 11. v. 29. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Ad Philip. 2. v. 5. Is affectus sit in vobis, qui & in Christo fuit. Qui cùm esset in forma Dei: semetipsum exinaniuit forma serui sumpta.

AD Patientiam. 1. Pet. 2. v. 21. Si benefacientes patiēter sustinetis: hoc Deo gratum est. Quia & Christus passus est pro nobis: nobis relinquens exemplum, vt vestigia eius sequamini.

DEBENT & pij Prophetas, Apostolos & alios pios & Sanctos imitari. Iacob. 5. v. 11. Sumite Fratres mei pro exemplari afflictionis & patientię Prophetas, *&c.* tolerātiam quoq; Iobi audiuistis. 1. Cor. 11. v. 1. Imitatores mei estote vt Ego Dei. Iacob. 5. v. 17. Orate alij pro alijs. Nē oratio iusti efficax est. Elias enim homo erat ijsdem quibus nos obnoxius, & cùm precaretur, exauditus est.

HOC Argumento Christus discipulorum suorum factum defendit. Matth. 12. v. 3. Dauid urgēte fame & necessitate panibus sacris vsus est sine peccato. Ergo & Apostoli Sabbatho vellentes spicas non peccant.

HOC Argumento Paulus ad Rom. 4. Iustificationem fidei confirmat: Abraham fide iustificatus est. Ergo & Christiani omnes fide iustificantur.

HORVM Argumentorum ab Exemplis piorum credentium magna est Inductio. Ad Heb. 11. toto ferè Capite:

pite: quo fides deſcribitur & commendatur.

HOMO etiam cum rebus alijs cōfertur. Ad Rom. 12. v.4. Sic in vno corpore multa ſunt membra: quorū non eſt idem officium. Sic multi Corpus vnum ſumus & varia dona & officia à Deo habemus.

HOC Argumento Pij & Impij ſæpè deſcribuntur in Pſalmis & Prophetis. Pſal. 1. v. 3. Beatus Vir, *&c.* Erit enim ſicut arbor plantata ad riuos aquarum, quæ fructum ſuū dat tempore ſuo, & perpetuò viret. Et, v. 4. Impij erunt quaſi gluma quam proijcit ventus.

HOC Argumento hominis infirmitas deſcribitur. Pſal. 103. v. 15. Hominis dies ſicut herbæ dies ſunt. Sicut Flos agri ſic floret homo.

QVOD Argumentum, 1. Pet. 1. 24. repetitur. 1. Cor. 5. v. 6. An neſcitis quod paululum fermenti totā maſſam fermentet. Vbi homo ſceleratus cū fermēto confertur.

HOC Argumēto Paulus etiam Reſurrectionem probat. 1. Cor. 15. v. 35. At dicet aliquis, Quomodo mortui reſurgent: & quali corpore prodibunt? Demens, quod ſeminas non viuiſcit niſi mortuum fuerit. Et quod ſeminas, non eſt id corpus quod oriturū eſt, ſed nudum granum, cui Deus dat corpus, vt vult.

RES cum re confertur. Iacob. 3. v. 2. Ecce equis frena in ora immittimus, vt nobis obediant, quibus totum corpus eorum circumagimus. Ecce Naues, quæ cū tantæ ſint & à ventis ſæuis agantur: tamen minimo gubernaculo circumagūtur: Ita & lingua puſillum membrum eſt & magna iactat.

RESPONSVM etiam reſponſo ſimile interdum eſt: vt Ioh. 8. cùm Chriſtus dixiſſet Iudæis v. 44. Vos ex patre Diabolo eſtis: Reſpondent Iudęi, v. 47. Tu ergo Samaritanus es, & dęmonium habes.

QVAESTIO etiam Simili Quęstione eluditur. Quomodo Christus insidiosas quæstiones & reprehēsiones diluit & soluit. Matt. 15. v. 2. Tunc Pharisæi interrogarūt Iesum dicētes: Quare Discipuli tui transgrediūtur traditiones Seniorum? At ille respondit: Quare & vos transgredimini mandatum Dei per traditionem vestram. Marc. 11. v. 28. Dicunt & Pharisæi: qua autoritate id facis? Et respondens Iesus: Interrogabo vos & Ego rem quandam, de qua, si responderitis, dicam vobis qua autoritate hoc faciam: Baptisma Iohannis è Cœlo erat an ex hominibus? *&c.* Et dixerunt: Nescimus: & dixit Iesus: Nec Ego dicam vobis qua autoritate hoc faciam.

P*AVLVS* in Collationibus Similium, redditionibus breuioribus vti solet. Ad Rom. 5. v. 13. Qui Adam Typus est futuri Christi. Et, 1. Cor. 12. v. 12. Sicut corpus unū est, *&c.* Ita & Christus. Et, 15. v. 42. Sicut alia est Gloria Solis, alia Lunæ: sic & Resurrectio.

S*IMILIA* etiam finguntur, & vim verorum obtinent. Qualia sunt in Fabulis & Apologis. Qualis est etiā Iudicum 9. de arboribus Regem eligentibus. Et in Concione Nathanis simile fictum est, quo Dauid tectè reprehenditur & peccati admonetur, 2. Sam. 12.

" O*BSERVANDVM* autē est hîc quod Perionius mo-
" net: Hoc loco, inquit, nullus mihi videtur firmior: nec
" ad Vulgi sensum accommodatior. Quo magis miror
" hanc esse in Scholis etiam Philosophorum de eo sentē-
" tiam: vt dicant Argumentum à Simili, vno pede claudicare. Vide Topica Theologica Perionij pag. 24. Vt enim Res sunt, ita etiam Argumenta sunt.

PAR.

PAR.

PAR est comparatum Consentaneum, cuius eadem est cum Themate Quantitas. Quod & Similium species esse potest, & cum Simili coniungi. Sæpè enim Simile Par, & Par Simile dicitur. Sic Virgilius Eclog. 1. Romam mantuæ: similem dixit: pro, parem seu æqualem. Et quod in Catone dicitur: Tu quoque fac Simile, &c. In Terent. dicitur: par pari referas. Et argumenti vsus idem in Paribus est, qui in Similibus. Vnde & Scriptores artis Dialecticæ hîc inter se variant. Et eadem exempla alij ad Similia: Alij ad Paria referunt. Vera autem Paria in Scriptura pauciora sunt quàm Similia. Notæ speciales Parium sunt Paritas, Parilitas, Aequalitas, Par, Parilis, Idē, Idē quod, Tantum, Quātum, tam Magnus, tam Paruus, Aequare, Aequè, Aequaliter, Sic, Tam, Quam, Tanto, Quanto, Tot, Quot, Non magis, Nō minus, et Synonyma. Vide Erasmum lib. 1. de Copia. Quæ autem his notis carent, omnia ferè ad Similia referri possunt. Nos tamen pauca quædam notabimus.

DE DEO.

Psal. 103. v. 10. Quoniam secundum altitudinem cœli supra terram, roborauit misericordiam suam, erga timentes se. Quantum distat Oriens ab Occidente: tàm procul remouet à nobis iniquitates nostras.

DE CHRISTO.

Matth. 10. v. 32. Quisquis confitetur me coram hominibus, confitebor & Ego illum coram Patre meo.

DE HOMINIBVS ET ALIIS REBVS.

Gen. 15. v. 5. Numera Stellas si potes: Sic erit Semen tuū. Matth. 5. v. 46. Si diligitis eos qui diligunt vos: quàm mercedem habebitis? Nónne & Publicani idem faciūt?

Matth.6.v.14.Si remiſeritis hominibus offenſas ipſorũ: remittet etiam vobis Pater cœleſtis. Et,7.v.1.Quo enim iudicio iudicabitis, iudicabimini: Et qua menſura metimini, viciſſim alij metientur vobis.

HOC Argumento Summa ſecundæ tabulæ & omniũ officiorum Caritatis comprehenditur & exprimitur à Chriſto.Matth.7.v.12.Quæcunque volueritis vt faciant vobis homines:eadem & vos facite ipſis. 1. Corinthior. 11.verſ. 5. Puto me nihilo inferiorem fuiſſe ſummis Apoſtolis.

DISSIMILE.

HACTENVS *Comparatum Conſentaneum fuit:ſequitur Diſſentaneum quod eſt Diſſimile aut Impar. Diſſimile eſt Cõparatum Diſſẽtaneum:cuius Qualitas à Themate diuerſa eſt: quod & Diſſentanei ſpecies eſſe poteſt. Vnde & Autores eadem Exempla, alij ad Diſſentanea, alij ad Diſſimilia ſubinde referunt. Atq; hîc Relatio thematis & argumenti Diſſimilitudo et* ἀντίθεσις *etiã dici poteſt. Diſſimile autem interdũ notis exprimitur, interdum ſine notis. Notæ autem ſunt Diſſimilitudo, Diſparitas, Diſſimile, Diſpar, Differẽs, Differre, aliud, Secus, et per Negationem ſimilitudinis, Non idem, Non ſimilis, Non talis, Non ſic, Non tãquam, & Synonyma. Diſſimilitudinis plenæ*
" *redditio hîc* ἀνταπόδοσις *dici poteſt. Ac ſæpè Diſſimile, dem-*
" *pta nota, ad Diſſentaneum recidit.*

EXEMPLA.

DE DEO.

Pſal.103.v.15.Hominis dies vt herbæ dies ſunt: miſericordia autem Domini à Seculo & vſq; in ſeculum ſuper timentes eum.Eſa.55.v.7.Derelinquat Impius viam

ſuam & reuertatur ad Iehouam. Quoniam facilè ignoſcit reſipiſcentibus. Nō enim cogitationes meæ ſunt, vt cogitationes veſtræ: nec viæ meæ ſunt vt viæ veſtræ dicit Iehoua.

DE CHRISTO.

Matt. 7. v. 29. Percellebatur turba ſuper Doctrina Chriſti. Docebat enim eos vt autoritatem habens: & non vt Scribæ. Matth. 8. v. 20. Vulpes luſtra habent & Volucres nidos. Filius autem hominis non habet vbi Caput reclinet. Ioh. 4. v. 13. Quiſquis bibet ex hac aqua, ſitiet rurſus. Quiſquis autem biberit ex aqua, quam Ego dabo ei, non ſitiet in æternum.

CHRISTI & Adami Diſſimilitudo eſt. Ad Rom. 5. v. 15. & 1. Cor. 15. v. 47.

DE HOMINIBVS.

Pſalm. 1. v. 4. Non ſic Impij. ſed tanquam gluma, quam proijcit ventus. Et, 32. v. 9. Ne ſitis ſicut Equus & Mulus: in quibus non eſt intellectus. Matth. 6. v. 16. Cùm ieiunatis, ne ſitis vt Hypocritæ tetrici. Qui obſcurant facies ſuas vt appareāt hominibus ieiunare. Tu verò cùm ieiunas vnge caput tuum. Et, 20. v. 25. Reges Gētium dominantur eis, Vos autem non ſic. 1. Cor. 15. v. 39. Non omnis caro eadem caro: alia enim caro hominum eſt, alia pecorum, alia piſcium, alia volucrum, & ſunt corpora cœleſtia & corpora terreſtria: & alia quidem cœleſtium gloria: alia terreſtrium, *&c.* 2. Cor. 3. v. 13. Non ſumus ſicut Moyſes, *&c.*

LEGIS & Euangelij Diſſimilitudo ibidem eſt, v. 6.

S*ACERDOTII* Chriſti & Aaronici Diſſimilitudo prolixè deſcribitur ad Heb. 7. 8. 9.

IMPAR.

IMPAR est Comparatum Dissentaneum, cuius diuersa est à Themate Quantitas. Quod & Dissentanei & dissimilis species esse poßet. Huius Notæ speciales sunt Imparitas, Inæqualitas, Impar, Inæqualis, Non par, Nō æqualis. Præstare, Excellere, Antecellere, Vincere. Impariter, Inæqualiter. Itē Gradus Comparatiuus & Superlatiuus, & Aduerbia Comparandi Magis, Minus, Potius & Quanto magis, Quanto minus, & horum Synonyma. Quibus Notis quæ carent ad Dissentanea & Dissimilia plerunque recidunt.

Atque huc spectant illa Aristotelis Axiomata à Maiori &
" Minori. In quibus etiam parùm inter autores sæpè conuenit,
" quod Argumentum Maius, quod Minus sit. Et eadem exempla
" alij ad Maius, alij ad Minus referunt. Nos, vt eam perplexita-
" tem vitemus & breuiores simus, Generali Imparium titulo
" contenti erimus: & Imparium argumento etiam Maiora &
" Minora comprehendemus.

Hinc autem Hyperbole oritur seu Elatio. Cùm rei augendæ aut minuendæ caussa, id quod nullo modo fieri potest, dicitur,
" vt ait Cicero in Topicis. Vt autem Comparatio per omnes locos
" se extendit: ita et Hyperbole in omnibus et Argumentis et Tro-
" pis etiam esse potest.

EXEMPLA.

Psalm. 118. v. 8. Melius est confidere Domino, quàm confidere principibus. Et, 139. v. 17. Magni apud me fit Consiliorum tuorum Sapientia, quorum tanta Summa est, vt cum ijs numerandis inuigilem numerare prorsus nequeam. Sunt enim arena numerosiores. Ionæ. 4. v. 10. Et ait Iehoua ad Ionā: Tu cucurbitæ caussa moueris, quā nec elaborastí nec auxisti, quæ vna nocte orta, vna nocte

periit.

perijt. Ego non mouear ob Niniuen tantam vrbem, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui dexteram suam à Sinistra non dignoscunt. Malach. 1. vers. 8. Quamuis offertis victimas cæcas & claudas: tamen negatis esse malum. Offer ea quæso Præsidi tuo, & vide vtrum ei placiturus sis, aut ab eo, quod velis, impetraturus inquit Iehoua. Matth. 7. v. 11. Si vos cùm sitis mali, nostis bona dare liberis vestris: Quantò magis Pater vester cœlestis dabit bona ijs, qui ab ipso petunt. Et, 10. v. 28. Ne timete vobis ab ijs qui corpus tantùm occidere possunt, *&c.* Sed timete potiùs eum, qui & animã & corpus perdere potest in gehẽna. Et, 6. v. 25. Ne estote solliciti de anima vestra quid esuri sitis aut bituri: neq; de corpore vestro, qua re sitis induẽdi. Nónne anima plus est quàm cibus, & corpus quàm vestitus. Intuemini volucres cœli, quas Pater vester cœlestis alit: nónne vos multò præstatis iis? Et, v. 30. Quòd si herbã agri Deus ita vestit, nónne vos multò magis vestiet? O' exigua Fide præditi. Et, 10. v. 29. Nónne duo passeres asse veneunt, & vnus ex iis non cadit in terram sine Patre vestro. Vestri etiam Capilli omnes numerati sunt. Ne igitur timete, vos multis passerculis præstatis. Ad Rom. 8. v. 32. Qui proprio Filio nõ pepercit, sed pro nobis eum in mortem tradidit: Qui nõ etiam cum eo omnia nobis donabit? 1. Ioh. 4. v. 20. Qui non diligit fratrem quem videt: quomodo Deum diliget quem non videt?

DE CHRISTO.

Matth. 10. v. 37. Qui amat patrem aut matrem supra me, non est me dignus. Et, v. 24. Non est Discipulus supra Magistrum: neque Seruus supra Dominum. Si igitur patrem appellarunt Beelzebub: Quantò magis do-

mesticos eius? Ioh. 13.v.14. Si Ego laui pedes vestros, Magister & Dominus vester, Vos quoq; debetis alij aliorum pedes lauare. Et, vers. 15. Maiorem hac Caritatem nemo habet: vt quis animam suam ponat pro amicis. Ad Heb. 1. vers. 4. Christus tantò excellentior factus est Angelis: Quantò excellentius præ illis sortitus est nomen.

DE HOMINE.

1. Sam. 17. v. 33. Non potest puer cum tanto viro & veterano pugnare. Respond. autor Dauid: Quod si Leonē & Vrsum aliquando occidi: profectò etiam præputiatū istum Palęstinum occîdam. 2. Sam. 17. v. 11. Ipse Filius meus qui ex visceribus meis ortus est, mortem mihi machinatur: Quid obstat quo minus hic filius Iemni mihi maledicat. Et, 1. Reg. 1. v. 23. Saul & Ionathan amabiles, *&c.* aquilis leuiores & Leonibus fortiores fuerunt. Psal. 37. v. 17. Multò præstat res tenuis iustorum, quàm opulentia Impiorum. Prouerb. 15. v. 17. Melius est vocari ad olera cum caritate, quàm ad vitulum saginatum cum odio. Et, 16. v. 19. Melius est humiliari spiritu cum humilibus, quàm diuidere Spolia cum Superbis. Et, v. 32. Melior est patiens viro forti: & qui domat animum suum, eo, qui vrbes expugnat. Et, 17. v. 20. Admonitio plus proficit apud prudentem, quàm centum plagæ apud Stultum. Ecclesiaste 9. v. 16. Prestantior est Sapientia quàm fortitudo. Et, v. 18. Melior est Sapientia quàm Instrumenta bellica. Matth. 5. v. 20. Nisi abundauerit Iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cœlorum. Et, 7. v. 5. Quomodo dices fratri tuo: Sine eijciam festucam ex oculo tuo: cū trabem in oculo tuo habeas. Et, 12. v. 11. Quis ex vobis

bis homo qui habeat ouem vnam: & ſi inciderit Sabbatho in foueam, nónne extrahit eam? Quantò verò præſtat homo oui? Itaque licet etiam Sabbatho ſanare hominem. Et, 16. verſ. 26. Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur: Animæ verò ſuæ iacturam faciat. Luc. 16. verſ. 17. Faciliùs eſt Cœlum & Terram præterire, quàm Legis apicem vnum excidere. Iohan. 3. verſ. 12. Si terrena dixi vobis, & non intelligitis: Quomodo ſi cœleſtia dixero, intelligetis? 2. Cor. 11. verſ. 23. Miniſtri Chriſti ſunt, deſipiens loquor, Excello Ego in laboribus, &c. 1. Timot. 3. verſ. 5. Qui propriæ domui præeſſe non nouit, Quomodo Eccleſiam Dei curabit? 1. Pet. 4. verſ. 17. Quod ſi iudicium Dei à nobis incipit: Quis erit finis eorum, qui non parent Dei Euangelio? Et ſi iuſtus vix ſeruatur, Vbi impius & peccator comparebit?

IN his igitur & ſimilibus Argumentum Impar eſt, & Imparium collatio. Ad locum autem Comparatorum magna pars libri Solomonis, cui titulus eſt Prouerbia ſeu Parabole, ſpectat. Et hinc etiam integri libri ſcripti ſunt, vt Similia Eraſmi, Lycoſthenis & vitæ Paralelæ: id eſt, comparatæ Plutarchi. Exempla autem virtutum, & vitiorum breuiter ab initio Bibliorum ad finem uſq; collegit Perionius in hoc Argumentum, pag. 30.

SEPTIMVM ARGVMENTVM, DIVISIO.

DIVISIO eſt Argumentum quod Thema vt Totũ in Partes diuidit. Et Græcè διαίρεσις, μερισμός. Latinè Partitio, Diſtributio, Diſtinctio, Enumeratio et Recenſio dici ſolet.

solet. Nam hæc in præsentia nõ distinguimus. Diuisioni autem opponitur Collectio partium ad constituendum Totum. Quæ et hîc Inductio dici potest.

Totum est quod partes continet: et cum pluribus verbis continetur. Summa, Argumentum, Locus communis et Thesis dici solet. Pars est, quæ continetur à toto, et aliàs Exemplum et ὑπόθεσις dicitur. Atque hinc præceptum Rhetorum est de ὑποθέσει ad θέσιν transferendo. Quod in Sacris concionibus maximè locum habet. Primæ autem rei cuiusque compositæ: id est, totius, partes sunt Materia et Forma: Quæ et partes Essentiales dicuntur: et ab Aristotele etiam Caussæ appellantur. Et in corporeis rebus propriæ sunt: in incorporeis Metaphoricè potiùs quàm propriæ dici videntur. Sic animal seu homo totum est: partes sunt Corpus et anima, vt Materia et Forma. Quæ rursum vt noua themata sumi poßunt: et in suas partes rursum diuidi: Corpus in partes integrales: simplices et compositas: principales, item et minus principales. Anima itidem in suas facultates quasi partes deduci. Sic pœnitentia totum est: Partes sunt Contritio, Fides et noua Obediẽtia: vel vt alÿs placet, Mortificatio carnis et viuificatio Spiritus. Hîc autem in rebus à Deo conditis magna est hominis cæcitas. Homo enim partes Essentiales rerum non intelligit, nisi admodum generaliter, et craßé. Vnde dicitur Ecclesiaste 11. v. 9. Sicut ignoras quæ sit via venti: et quomodo coalescant ossa fœtus in vtero prægnantis: ita ignoras reliqua opera Dei: qui facit omnia. Homo enim tantùm ea perfectè intelligit, quæ ipse facit, vt sunt artes ab hominibus inuentæ et artium opera.

Huc autem spectat Genus, Species, Differentia seu Forma, et Diuisio ipsa Generis in Species, Differentias aut Formas. Genus est totũ quod de Specie dicitur. Species est pars Generis: quæ Generis sui appellatione venit: seu de qua Genus dicitur. Sic Animal Genus est: Species sunt Homo et Bestia, quorũ vtrumq;

Animal

Animal & est & dicitur. Nam & Homo animal & Bestia animal est & dicitur. Quod in Partibus fieri non potest. Neque enim anima neq; corpus animal est aut dicitur. Sic etiam Homo Genus est: cuius Species sunt Iudæus & Græcus: Petrus & Paulus. Doctrina cœlestis Genus est: Species sunt Lex & Euangelium. Cùm Genus per Adiectiua maximè propria diuiditur: Differentia seu Forma dici solet, vt Animalium aliud rationale, aliud irrationale seu Brutum est: seu aliud loquens, aliud mutum est. Creatura alia cœlestis, alia terrestris.

Pars autem Species & Differentia interdum in locos præcedentes incidunt & ex ijs sumuntur. Vnde & Diuisio ex illis locis tum nomen sortitur & oriri dicitur. Sic Efficientis est: opera hominum alia à Deo sunt, alia à Diabolo. Effecti, vt homines alij bonum, alij malum faciunt. Subiecti, vt homines alij Dei, alij Diaboli ministri sunt. Adiuncti vt homines alij Boni, alij Mali sunt. Comparati, vt hominum alij inter se similes, alij dissimiles sunt: alij Pares, alij Impares: alij Meliores, alij Peiores: et in his omnibus Species dissentaneæ sunt.

Partes interdum nullo expresso toto ponuntur, et in Diuisione non semper omnes partes enumerantur. Sed in accurata doctrina enumerari debent. Et hîc Diuisio quidem in paucissimas partes semper fieri debet: ac quoties fieri potest in binas: vt ab infinito longissimè absit. Ex Genere autem res Homogeneæ & Heterogeneæ dicuntur. Homogeneæ sunt species eiusdem Generis proximæ, vt Homo & Bestia, quæ sub vno genere Animalis continentur. Heterogeneæ sunt species diuersorum Generum, quæ longiùs inter se distant, vt Homo & Arbor: quorum hoc sub animali: illud sub stirpe seu planta est.

Hoc Argumentum doctrinæ Paulus nominat & commẽdat 2. ad Tim. 2. v. 15. cùm vult Timotheum non λογομαχεῖν, sed ὀρθοτομεῖν: id est, rectè secare sermonem veritatis. Quo loco Paulus ad locum Platonis in ciuili: de victimis per membra

ſecandis. Et Chriſtus ipſe planè Logicè hoc argumento vtitur, & Summam Legis totius, & ſuarum cōcionum de officijs Summam et Genus conficit, et hoc magnum mādatum vocat: id eſt, Summum & Generaliſsimum mandatum. Matth. 22. v. 36. Hoc, inquit, magnum mādatū eſt: Diliges Deū ex toto corde: Et huic alterum ſimile eſt: id eſt, æquè etiam Generale ad ſecundam tabulam: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Ab iſtis enim duobus mandatis pendent Lex et Prophetæ. Seorſum autē poſterioris tabulæ, Summā cōficit, Matt. 7. v. 12. Quæcunq;, inquit, volueritis, vt faciant vobis homines: idem et vos facite ipſis: hoc enim eſt Lex et Prophetæ: id eſt, hæc eſt Sūma cōcionū omnium ſpecialium Moyſis & Prophetarum de officijs Caritatis erga proximum. Et cap. 19. v. 16. Vbi enumeratis ſecundæ tabulæ præceptis, Genus ſubiungit: Et diliges proximum tuum ſicut teipſum. Et Paulus ad Rom. 13. v. 8. Caritatem erga proximum ἀνακεφαλέοσιν: id eſt, Summam ſeu Epitomen, ſeu Genus omnium præceptorum ſecūdæ tabulæ facit. Omnia, inquit, præcepta ſecundæ tabulæ ſummatim comprehenduntur in hoc ſermone, nempe, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Itaque Caritas expletio Legis eſt.

EXEMPLA ET VSVS ARGVMENTI,

DE DEO.

D*EI* Propria & peculiaris Diuiſio, qua non in partes neq; in Species, ſed in perſonas tres diuiditur. Matt. 28. v. 19. Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti.

H*OC* Argumento Moyſes Gen. 1. vtitur, cùm primum Genus & Summam creationis propoſuiſſet: opera Dei poſtea in 6. dies diſtribuit & ordine recitat.

H*OC* Argumento Dauid ſe ad Deum laudandum ex benefi-

beneficiorum Dei erga se, Speciebus, Distributione & Enumeratione excitat Psal. 103.

PROPOSITIO GENVS ET SVMMA.

v. 1. Benedic Anima mea Domino: Et ne obliuiscaris omnium beneficiorum eius.

SPECIES ET DISTRIBVTIO *Beneficiorum.*

Qui remittit omnes iniquitates tuas: Qui sanat omnes infirmitates tuas: Qui redemit de interitu vitam tuam: Qui coronat te Misericordia & Miserationibus: Qui satiat bono os tuum: & renouat, ut aquilæ iuuentutem tuã. Faciens Iustitias Dominus, & iudicia omnibus iniuriam patientibus: Qui notas fecit vias suas Moysi, & filius Israël naturam suam, *&c.*

CHRISTVS ex Genere Argumentatur. Ioh. 4. v. 24. Deus est Spiritus: Ergo vult Spirituales adoratores, seu Spiritu & Spiritualiter coli & inuocari.

DE CHRISTO.

CHRISTVS cùm sit vna persona, in duas naturas diuiditur, nempe Diuinam & Humanam. Ad Rom. 1. v. 3. De Filio suo facto ex semine Dauidis secundum carnẽ: declarato Filio Dei potenter secundum Spiritum Sanctificationis per resurrectionem è mortuis. Et, cap. 9. v. 5. Ex quibus est Christus secundum carnem: Qui est supra omnes Deus laudandus in secula.

ARGVMENTO Partium Christus vtitur, & se non esse Spiritũ docet. Luc. 24. v. 39. Videte manus meas & pedes meos: Nã Ego ipse sum. Cõtrectate me & videte. Spiritus enim carnem & ossa non habet: sicut me videtis habere.

D E *HOMINE.*

HOMO in Corpus & Spiritũ diuiditur. 1. Cor. 5. v. 3.

Absens

Abſens corpore pręſens autem Spiritu. Et, 6.v.20.Glorificate Deũ in Corpore veſtro, & in Spiritu veſtro quæ ſunt Dei. Pro quibus Petrus Carnem & Animam nominat. 1.Pet.2.v.11. Abſtinete à carnis cupiditatibus, quæ militant contra animam.

ALIAS Paulus Hominem in tres partes diuidit. 1.ad Theſſ.5.v.23. Ipſe Deus pacis autor ſanctificet vos: vt integer veſter Spiritus & anima, & corpus inculpatè in aduentum Domini ſeruentur.

VTITVR & Tropicis Diuiſionibus, vt cùm Hominẽ in Carnem & Spiritũ diuidit. Ad Rom. 8.v.6.& ad Gal. 5.v.17.

ITEM in Corpus & Spiritum. Ad Rom.8.v.10.

ITEM in mẽtẽ & carnẽ eodẽ ſenſu. Ad Rom.7.v.25.

ITEM in Hominem nouum & veterem. Ad Epheſ. 4.v.22.

ITEM in Hominẽ interiorẽ & exteriorẽ. Ad Rom. 7. v.22.& ad Epheſ.3.v.16. Et ad Rom. quidem Camerarius annotat in hac partitione & loquẽdi forma Paulum ad locum Platonis reſpexiſſe, qui eſt de Republica.

ARGVMENTO à Materia Corporis humani, Scriptura vtitur ad hominis imbecillitatem exprimendam, & miſericordiam Deo mouendam.

EX parte. Gen.18.v.27. Liceat mihi quęſo loqui cum Domino meo: Qui ſum puluis & cinis. Et, Pſal.103.v. 13. Deus miſereatur timentium ſe. Quia ipſe nouit figmentum noſtrum: & memor eſt nos puluerem eſſe.

HOMO in ſpecies varias diuiditur ex loco Subiecto in Iudæos & Gentes. Ad Rom. 3.v.29. An Iudæorum Deus tantùm ánnon & Gentium? Pro quo dicitur verſu proximo: Vnus eſt Deus, qui iuſtificabit Circumciſionem ex fide: & Præputium per fidem.

ET

ET in Iudæos & Græcos. Ad Rom. 2. v. 10. Pax omni operanti bonum tum Iudæo tum Græco.

ET in Græcos & Barbaros. Ad Rom 1. v. 14. Et Græcis & Barbaris debitor sum.

EX Loco. Act. 2. v. 8. Hæc distributio copiosior est: Quoniam nos omnes audimus eos loquentes sua quisque lingua in qua nati sumus: (*Species*) Parthi, & Medi Elamitæ, *&c.*

EX adiunctis animi. Ad Rom. 1. v. 14. Sapientibus & Insipientibus debitor sum.

EVNVCHORVM Species ex caussa Efficiente recitantur. Matt. 19. v. 12. Sunt Eunuchi qui ex Matris vtero tales nati sunt: Et sunt Eunuchi qui castrati sunt ab hominibus: Et sunt Eunuchi qui seipsos castrarũt propter regnum Cœlorum.

APOSTOLORVM Enumeratio est. Matt. 10. v. 2. & Act. 1. v. 13.

RERVM etiam Distributio est.

SIC Doctrina cœlestis in Legẽ & Euangelium. Ioh. 1. vers. 17. Lex per Moysen data est: Gratia & veritas per Christum facta est.

SCRIPTVRA in Vetus & Nouũ Fœdus diuiditur. 2. Cor. 3. v. 14.

SCRIPTVRAE vtilitates enumerãtur. 2. ad Tim. 3. v. 13.

CREATVRA in Cœlestem & terrenam: visibilem & inuisibilem diuiditur. Ad Col. 1. v. 16.

SIC & rerum aliarum longiores Distributiones sunt, vt Musicorum Instrumentorum, Psal. 105. Ornamentorũ Muliebriũ, Esa. 3. v. 18. Et Vrbiũ Moabiticarũ, cap. 15.

ET rerum ad vitam necessariarum. Ioël. 1. v. 3.

ET Membrorum corporis humani. Ad Rom. 3. v. 13.

EFFECTORVM & Adiunctorũ Caritatis. 1. ad Cor. 13. v. 4.

O*PERVM* Carnis & Spiritus. Ad Gal. 5. v. 19.
B*ENEFICIORVM* Christi. Ad Eph. 1.
O*FFICIORVM* Oeconomicorum. Cap. 5. v. 21.
A*RMORVM* Spiritualium. Cap. 6. v. 13.
S*VNT* & Diuisiones longiores & mixtę, in quibus Heterogenea miscentur. Sic Res aduersę virtutes, & alia hominis adiuncta enumerantur, 2. Cor. 6. v. 4.
H*VIVS* Distributionis insigne Exemplum est Psalm. 148. Laudate Dominũ in Cœlis: laudate eũ in excelsis.
2. Laudate eũ omnes Angeli eius: laudate eũ omnes exercitus eius. (cidæ, *&c.*
Laudate eũ Sol & Luna: laudate eũ omnes Stellę lu-
Laudate Iehouam in terra, Cete & omnes Abyssi.
Ignis & Grando, Nix & Vapor, Ventus & Turbo quæ ipsi obediunt, montes & omnes Colles: Arbores fructiferæ & omnes Cedri. (tæ.
Bestię & vniuersa pecora, Serpẽtes & Volucres pẽna-
Reges Terrę & omnes populi: Principes & omnes iudices terræ. Iuuenes, & Virgines, Senes cum Iunioribus, *&c.* Alleluia: Laudate Iehouam.
P*OTEST* & falsa seu minus cõmoda Diuisio esse. Hinc autẽ oritur Fallacia à Dicto secundũ: Quid ad Dictũ Simpliciter: id est, cũ Speciale pro Generali accipitur, vt si dicã: Ecclesia nõ errat, Ergo Monachi & Papistę nõ errant: aut Iustis nõ est Lex posita. Ergo ijs quiduis facere licet. Hęc n. dicta Specialiter vera sunt. Pro, Ecclesia nõ tota errat: vel, nõ omnes in Ecclesia errãt. Et lex scil. damnãs nõ est iustis posita. Quod si aũt Generaliter hęc accipiãtur, falsa sunt. Et Fallacia etiã dici potest Secundũ Nõ Generale vt Generale, seu falsum Genus. Nullus autẽ error in artib. vsitatior est, quàm Speciale pro Generali accipere. Qui enim ad pauca respiciũt facilè inquit Aristoteles παραλογίζονται.

ET in toto hoc Argumēto errare faciliùs est: quod nulla pars Logicę Inuētionis ęquè difficilis sit quā accuratè & commodè diuidere, teste Platone & Aristotele. Nam sæpè vel Genus vel Species, vel Differentia ignoratur: aut si hęc intelligātur: tamen nomina Generum, Specierum, Differentiarū idonea & cōmoda desiderātur. Quæ res non parū artibus accuratè tradendis obstat. Atq; ex hoc Argumento Tropus Quartus, nempè Synecdoche totius & partis Generis & Speciei descriptus est.

OCTAVVM ARGVMENTVM,

DEFINITIO.

DEFINITIO *est Argumentum quod Thema ex Genere & Differentia definit. Et Græcè* ὅρος, ὁρισμός, λόγος, λόγος ὁριστικός, τύπος, καταγραφὴ, χαρακτὴρ, χαρακτηρισμός, εἰκονισμός *&* περιφραστικός, τὸ τί ἦν εἶναι. *Latinè Finis, Finitio, Definitio, Descriptio, Informatio, Designatio, Delineatio, Effigies, Exemplar, Notio, &c. dici solet. Atque huc etiam Periphrasis spectat.*

Thema autem vt proximè Diuisum: ita hîc Definitum appellatur. Quod vtrobiq; pluribus etiam vocibus continetur, vt Doctrina cœlestis, Verbum Dei, Lex Dei, Vindicta ordinata, Vita Christiana. Et vox Diuisionis & Definitionis ambigua est. Nam & argumentum ipsum & Relationem Thematis & argumenti, & Propositionem etiam ex Themate & Argumēto compositam significat. Et vtraque vox Geometrica est: & Diuisio quasi Diametro diuidit: Definitio quasi Perimetro comprehendit. Neque verò Definitio vniuersam rei naturam explicat, sed rem extremis quasi lineis & σκιαγραφίᾳ *quadam Generaliter tātùm et breuiter repræsentat. Quæ longa deinde sæpè oratione aut tota arte explicatur.*

Genus & Differentia hîc pro duabus partibus Essentialibus Materia & Forma sunt, & earum Symbola & Notæ sunt, Genus

nus quidem Materiæ: Differentia autem Formæ: Quæ quasi corpus & anima rei & Definitionis sunt. Vera enim & legitima Definitio ex partibus Essentialibus, ex quibus res composita est: quæq; rei semper insunt: fieri atque constitui deberet: vt si dicam, Homo est corpus anima rationali præditum: vel, ars est præceptionum Methodus. Verùm quoniam hæc Definitio in hac hominum cæcitate propter Partium Essentialium præsertim Formarum ignorationem, rara & difficilis est: Nec hæc Definitio rebus omnibus prorsus competit: (Neque enim Essentijs Spiritualibus et accidentibus Simplicibus conuenit: quæ sunt tantùm Formæ sine omni Materia:) ideò Philosophi pro partibus Essentialibus, Genus & Differētiam assumpserunt et ad Definiendū adhibuerunt: Quæ & in omnibus rebus haberi possunt: & omnibus rebus competunt.

Genus autem et Differentia, vt suprà, de Argumento in Genere dictum est, ex rei cuiusque arte propria petenda sunt. Et aliqua ex parte ex Prædicamentis: quæ artium Epitome quædam sunt, sed minimè perfecta. Et Genera quidem atq; Differentiæ Thematis Theologici ex Theologia & Sacris literis & libris Catecheticis petenda sunt. Seorsim autem Genus & Differentia ex Diuisione petenda sunt. Quare & Diuisionis doctrina Definitione prior est. Genus autem non semper proximum aut proprium adhiberi potest, aut solet, aut necesse est. Sæpè enim, vt iam in Diuisione dictum est, vel Genera vel Generum nomina ignorantur & desiderantur. Quare interdum Genus remotius, interdum nomen aliquod commune et notius, quod Definito par aut latius sit pro Genere adhibetur. Interdum cùm Genus per se notum est, omittitur: & per nomen Qui, Quæ, Quod, quod Genus includit, exprimitur. Genus etiam interdum non vnum est, sed Geminum, aut Tergeminū pro occasione & commoditate: præsertim in Definitione quæ partium enumeratione constat, de qua paulò pòst.

DE DIFFERENTIA ET DEFINITIONIS EX DIFFERENTIA, Varietate.

DIFFERENTIA etiam non semper vna voce continetur, sed sæpè pluribus. Deinde primùm quidem & præcipuè Differentia Formalis esse deberet: id est, ex rei forma sumpta: verùm quoniam ea, propter Formarum ignorationem rara est: plerunq; quòd commoditas & necessitas etiam in alÿs rebus suadet: vt aliud pro alio sumatur: ad alia argumenta iam explicata decurritur, & ex ÿs Differentia petitur, adeoq; Argumentum ipsum pro Differentia assumitur.

Atque hinc fit, quòd definitionis doctrina commodiùs post alia argumenta, tradatur. Quod sine illis explicari nequeat: & Differentia ad definiendum necessaria ex illis petenda sit.

Deinde hinc fit, quòd Definitio varia nomina sortiatur. Quæ enim Differentiam Formalem habet: Essentialis et Perfecta dicitur. Quæ verò argumentũ aliud pro Differentia habet: priuatim Descriptio, et Imperfecta Definitio à quibusdam dici solet. Deinde ex argumentis singulis rursum Specialia nomina sortitur. Sic exempli caussa, ex argumento caussæ caussalis, ex argumento partium, partialis appellari potest, & sic de alÿs.

Sed vt res, quo ad fieri possit, penitiùs intelligatur et propiùs quasi aspiciatur, paulò clariùs hoc explicare conabimur. Definitio igitur ex argumento quod pro Differentia sumitur: duplex primùm esse potest: Simplex & Mixta. Simplex est in qua Differentia vnius tantùm argumenti est: siue vna sit siue plures. Differentia igitur vel est Efficiens, vt, Mundus est machina totius vniuersi (Efficiens) à Deo condita. Christus est persona diuinitatis, (Efficiens) à Patre ab æterno genita. Euãgelium est doctrina (Efficiens) diuinitùs reuelata. Lex naturæ est Notitia legis diuinæ (Efficiens) à Deo insita naturæ ho-

minis. Vindicta ordinata est vindicta, (Efficiens) quæ fit mãdato Dei. (II. Efficiens) per leges & magistratus. Inordinata est quæ fit (Efficiens) propria iracundia & nocẽdi cupiditate.

Vel Effectus: vt, Deus est Spiritus (Effectus) qui mundum condidit. Christus est persona, (Effectus) quæ nos redemit. Lex est Doctrina Ecclesiæ, quæ peccantibus peccatum & iram Dei reuelat. Euangeliũ est doctrina Ecclesiæ, (Effectus) quæ de Dei gratia concionatur & resipiscentes consolatur. Sacrificium Propitiatorium est, quod placat iram Dei & alijs remissionem peccati meretur.

Vel Subiectum: vt, Deus est Spiritus cœlum et terrã implens. Ecclesia est cœtus hominum, qui Christo addictus est. Euangelium est doctrina, (Subiectum) de Christo & eius beneficijs. Lex moralis est doctrina, (Subiectum) de moribus & officijs piorum. Lætitia est affectus, quo cor præsenti bono fruitur. Mansuetudo est Virtus, moderans iracundiam & vindictæ cupiditatem.

Vel adiunctum: vt, Deus est Spiritus (Adiunctum) immensæ potẽtiæ et sapiẽtiæ. Angelus est Spiritus finitus, Liber, Iustus, Sapiens, Immortalis. Dominus est persona habens Adiunctum seruum.

Vel Dissentaneum: vt, Spiritus est Substantia, incorporea & immortalis. Virtus est fuga vitij seu fugere vitia, & Sapiẽtia est carere stultitia. Castitas est Virtus, vitans vagas libidines. Impius est, qui non est pius.

Vel Comparatum: vt, Deus est Sol quidam inuisibilis omnibus rebus lucem & vitam suppeditans. Homo est animal conditum ad imaginem Dei. Sanctus est, qui Sanctorum fidem & mores imitatur. Item: Deus est Spiritus omnibus potentia & Sapientia superior. Angelus est Spiritus Deo inferior potentia & Sapientia.

Vel Diuisio: vt, Deus est Spiritus, in cuius Essentia simplici tres

tres sunt personæ: Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Christus est persona, constans natura Diuina & humana.

Hic autem cùm Partes & Species sunt, interdum Genera etiam plura sunt. Vt Pœnitẽtia seu Conuersio ad Deũ est Cõtritio: id est, verus pauor & dolor cordis propter peccata nostra: et fide in Christũ accipere remissionẽ peccatorum, recõciliationem & iustificationem: & inchoare nouam obediẽtiam. Quod breuiter dici posset: Pœnitentia est contritio, fides & noua obedientia. Fides est assentiri omni verbo Dei: et in hoc promissioni gratuitæ reconciliationis donatæ propter Christum Mediatorem: & fiducia misericordiæ Dei promissæ propter Christum. Bonus est, qui pius est, iustus, temperans, patiens, &c.

DEFINITIONES MIXTAE.

Definitiones Simplices hæ fuère: Mixtæ sunt, in quib⁹ diuersa Argumẽta ad Differentiã cõstituendã cõiunguntur: vt, Homo est animal, (Efficiẽs) *à Deo conditũ* (Effectus & Finis) *ad Deum agnoscendũ & celebrandũ. Bonũ opus seu cultus Dei est opus,* (Efficiens) *à Deo mandatum* (alterum Efficiens) *ex fide profectum* (Effectus) *quo Deus honore afficitur. Vel plura simul: vt, Homo est Substantia* (Efficiens) *cõdita à Deo.* (Partes) *constans corpore & anima rationali,* (Comparatum) *condita ad imaginem Dei,* (Finis & Effectus) *vt Deum agnoscat & celebret.*

Atque hoc modo Argumenta in Definitionibus longioribus ad Differentiam constituendam variè coniungũtur. Hinc fit, quod vt alia Argumenta: ita & Definitiones vnius rei, pro docentis cuiusque consilio & arbitrio, variæ esse possint. Vnde Seneca libro de vita Beata cap. 4. Quemadmodũ, inquit, exercitus modò latiùs pãditur, modò in angustũ coarctatur: & aut in cornua, sinuata media parte curuatur: aut recta frõte explicatur: & vis illi, vtcunque ordinatus est, eadem est, & voluntas

pro

pro iisdem partibus st[illegible]ndi: ita Definitio aliàs diffundi potest & porrigi: aliàs colligi & cogi. De qua re vide plura apud Aristotelem lib. 2. de Anima cap. 2. in Definitione Iræ. Et apud Galenum lib. 4. de pulsuum Differentiis: vbi variæ pulsus Definitiones recitantur, & multa de Definitione, scitu digna explicantur. Et Fabium lib. 7. cap. 3. Et hodie Theologi alii aliter pro suo quisque instituto, res easdem definiunt. Atque hæc de Differentia, & varietate Definitionis ex Differentia nata.

DE DEFINITIONIS ORIGINE.

Galenus, loco iam citato, ait Veteres non esse vsos definitionibus: sed vocabula Grammaticè tantùm interpretatos esse. Et Aristoteles Metaphysicorum 1. cap. 6. ait Isocratem primùm cœpisse vti Definitionibus. Sed Definitionis argumentum, vt cætera Argumenta omnia, semper in vsu in vita & sermone humano fuit. Sed à Socrate ad artes traductum est atque excultum.

DE VSV ET VITIO DEFINITIONIS.

Definitio & Diuisio admodum commoda sunt docendi argumenta et formulæ: et sola ferè ad artes tradendas sufficiunt. Potest autem de vsu Definitionis in artibus ad πρᾶξιν præcipuè spectantibus, inter quas etiam Theologia est, quæri an sint vtiles: cùm magis contemplationi quàm actioni accommodatæ esse videantur. De qua re pulcrè à Seneca responsum est Epist. 96. Definire, inquit, eandem vim habet quàm præcipere. Nam qui præcipit, dicit: Illa facies si voles temperans esse: Qui describit, ait, temperans est, qui facit illa, illis abstinet. Quæris quid intersit? Respõdeo: Alter præcepta dat virtutis, alter exemplaria. Descriptiones has, vt Publicanorũ verbis vtar, εἰκονισμούς: id est, Effigies, ex vsu esse confiteor Proponamus laudanda, inueniatur imitator. Putas tibi vtiliter dari Argumẽta, per quæ intelligas

intelligas nobilem Equum. Quanto hoc vtilius excellentis animi notas nosse: quas ab alio in se transferre permittitur.

Definitio non solùm rei & nomini conuenire debet: sed etiã docentis instituto & proposito, per Differentiam maximè accommodata esse debet: & cũ doctrina sequenti, cuius caput est, cõgruere. Fabius lib. 7. c. 3. Vt autẽ rectè finiamus, ita fit: si prius in animo constituerimus: quid velimus efficere. Sic enim accommodari ad voluntatem verba poterunt. Quare tum demũ Definitio vitiosa est: si vel à re, qua definitur aliena est: vel à nominis vsu abhorret: vel cum docentis proposito et doctrina sequenti parum conuenit. Nullum argumentum magis, reprehensioni obnoxium est quàm Definitio. Et in disputationibus horum temporum de Definitionibus, Gratiæ, Fidei, Iustitiæ, Peccati, Pœnitentiæ, cultus Dei, Libertatis Christianæ, &c. magna et præcipua cõtentio est. Et Iabolenus Iurecõsultus: Omnis, inquit, in iure periculosa Definitio est. Rarum enim est vt non poßit subuerti. Et Aristoteles 6. Topicorũ multas rationes tradit Definitiones euertẽdi. Sed hæc de qua nunc diximus, reprehensio Definitionis præcipua est.

EXEMPLA.

DE DEO.

Gen. 17. v. 1. Ego sum Deus omnipotens. Quare ambula coram me & esto perfectus. Exod. 3. v. 15. Sic dices filijs Israël: Iehoua qui est Deus patrum vestrorum, Deus Abrahami, Isaaci & Iacobi, apparuit mihi dicens: Recordatus sum vestri, & educam vos ex afflictione Aegyptiaca. Exod. 20. v. 1. In Pręfatione legis Dei Definitio est ex recenti beneficio, qua populus ad obedientiã incitetur: & dixit Iehoua: Ego Iehoua, sum Deus tuus, qui eduxi te ex terra Aegypti & è domo seruorum. Ergo non erunt tibi Dij alieni coram me.

DESCRIPTIO Dei vberior ex immensa misericordia & ira extat Exod. 34. v. 6. Et transiens Iehoua ante Mosen sic pronunciauit: Iehoua Iehoua est Deus misericors & exorabilis, tardus ad iram, propensus ad clementiam & auxilium. Qui clementia in mille vsque ętates vtitur: vitia & peccata & delicta condonans. In pœna autem eroganda, parentum culpam in natos & nepotes ad tertiam & quartam stirpem persequitur.

MOSES autem rursum deprecans pro populo hac eadem Dei definitione à Deo ipso tradita, pro Argumēto vtitur. Num. 14. v. 17. Nunc quæso ostende magnam tuam illam potentiam, quam prædicabas his verbis: Iehoua est Deus ad iram tardus, *&c.* Remitte ergo quæso culpam huic populo pro tuæ clementiæ magnitudine.

VIDE plura, Gen. 24. v. 1. & 7. & 27. & cap. 28. v. 13. Et Exod. 20. v. 5. Et Psalm. 103. v. 10. Vbi Descriptio Dei vberior illa repetitur.

DE CHRISTO.

Ad Rom. 1. v. 3. Christus est persona nata ex semine Dauidis secūdum carnem: Declaratus filius Dei secundum Spiritum Sanctificationis per Resurrectionem è mortuis. 1. ad Tim. 2. v. 5. Christus est homo, mediator Dei & hominum. Et, 3. v. 16. Christus est Deus conspicuus factus in carne, iustificatus in Spiritu, prædicatus Gentibus & sursum receptus in gloriam. Ad Tit. 2. vers. 13. Christus est magnus Deus & seruator noster, qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate. Ad Col. 1. v. 14. Graphica & luculenta personæ Christi Definitio atque Descriptio extat. Vide & Esa. 9. v. 6.

MIXTAE Definitiones sunt ex Cōparatis & Effectis hę. Ioh. 1. v. 29. Christus est agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

mundi. Et, 6. v. 35. & 41. Christus est panis vitę, qui è cœlo descendit, quem, qui comederit nunquam esuriet.

DE HOMINE.

Iob 14. v. 1. Homo qui nascitur de muliere breuis æui est & plenus miseriæ.

ECCLESIAE.

Ad Ephes. 5. vers. 25. Ecclesia est cœtus hominum per Christum redemptus & lauacro aquæ per verbum purgatus.

FILIORVM DEI.

Ad Rom. 8. v. 14. Filij Dei sũt, qui spiritu Dei ducũtur.

HOMINIS BEATI.

Psal. 1. v. 1. & Psal. 119. v. 1. & 32. v. 1. Beatus homo est, qui lege Dei delectatur, & in ea ambulat, & cui peccatũ remissum est. 1. ad Tim. 3. v. 2. & ad Tit. 1. v. 6. Episcopi & Presbyteri Descriptio est.

PONTIFICIS.

Ad Heb. 5. v. 1. Pontifex est, qui ex hominibus assumptus, pro hominibus constitutus est in ijs, quæ apud Deum agenda sunt, vt offerat donaria & victimas pro peccatis. Quæ Definitio exemplis specialibus Aaronis & Christi Subiectis illustratur.

DEFINITIO MAGISTRATVS.

Ad Rom. 13. v. 1. Magistratus est persona à Deo ordinata, ad bonos defendẽdos & malos puniendos. Quare omnis anima ei se reuerenter subjiciat. 1. Sam. 16. v. 18. Dauidis descriptio est. Et respõdit vnus è seruis Saulis ac dixit: Ecce vidi filium Isai Bethlehemitæ: is nouit psallere, & potens robore, & bellicosus, & prudens & formosus, & Iehoua est cum eo: q. d. Ergo is idoneus est minister Saulis. Capite autem 17. vers. 4. & deinceps longa est Goliathi Descriptio. Ad Rom. 1. vers. 1. Paulus

est Seruus Iesu Christi vocatione Apostolus, Separatus ad prædicandũ Euangelium Dei. 2.ad Tim.1.v.11. Paulus est præco Euangelij, Apostolus & Doctor gentium. Quare audiendus est.

DE REBVS ALIIS:

SCRIPTVRAE DEFINITIO.

2.ad Tim.3.v.16. Scriptura est Doctrina, diuinitùs inspirata: vtilis ad doctrinam redargutionem, Correctionem & institutionem in iustitia, *&c.* Quare diligẽter discenda est.

EVANGELII.

Ad Rom.1.v.16. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Ergo Paulum non pudet prædicare Euangelium.

FIDEI.

Ad Heb.11.v.1. Fides est ὑπόστασις rerum quæ sperantur & ἔλεγχος eorum quæ nõ videntur. Id est, quæ res adhuc in Specie positas repræsentat: & inuisibilia velut oculis subijcit.

SPEI.

Ad Rom.8.v.24. Spes est earum rerum, quæ non cernuntur, expectatio.

PECCATI.

1.Ioh.3.v.4. Peccatum est ἀνομία: id est, legis transgressio: vel quod pugnat cum lege Dei.

VITAE HVMANAE.

Iacob.4.v.14. Nemo scit quid cras futurum sit: Quæ enim est vita vestra. Vapor enim est qui paulisper durat, & deinde euanescit. Quare quæ ad vitam breuem & incertã pertinent, leuiter curanda sunt: Quæ autem ad vitam immortalem spectant: ea inprimis curanda sunt.

NONVM

NONVM ARGVMENTVM, NOMEN.

NOMEN est speciale Adiunctum rei, quo res nominatur. Quod Argumentum ferè cum superiori aliquo, præsertim Caussa, Effectu, Subiecto et Adiuncto cōiungitur: & pro eius Argumenti, cum quo iungitur, et rei natura arguit. Hoc autem Nominis Argumentum, dupliciter rem arguit, seu duplex est: Notatio & Coniugatum.

DE NOTATIONE.

Notatio est Nominis interpretatio. Quæ ab Aristotele, Definitio Nominalis seu λόγος ὀνοματώδης *Posteriorū 2. cap. 10. Et Definitio Nominis seu* λόγος ὀνόματος *Topicorum 2. cap. 2. Et locus ex Nomine in Rhetoricis lib. 2. cap. 23. & Ciceroni in Topicis, Etymologia & Notatio. Et Fabio Originatio dicitur. Nominis autem vel Deriuati vel Compositi ratio reddi potest, ex aliquo Argumēto primo: ac de hoc Argumēto dicitur:* Cōueniūt reb⁹ nomina sæpè suis. *Et copiosè à Platone in Cratylo de hoc Argumēto disputatum est. Sed Argumētum per se infirmum est. vnde & à Galeno de placitis Hyppocratis & Galeni,* ἄλλα τῶν μάρτυρ: *id est, vanus testis dicitur. Apud Hebræos autem in nominibus Proprijs frequēs est huius Argumēti vsus.*

EXEMPLA.

DE DEO.

Exod. 3. v. 14. Sic dices ad filios Israël: Is qui est, misit me ad vos. Vbi Nominis diuini Iehoua interpretatio seu notatio est ex adiuncto Dei, quòd is solus per se & perpetuò subsistat. Matt. 1. v. 21. Paries Filium, & vocabis nomē eius Iesum. Ipse enim seruabit populum suum, à peccatis ipsius. Hic Notatio ex Effectu est.

DE HOMINIBVS.

Gen.2.v.23.Vocabitur Ischa seu Virissa: quia de Isch, id est, de viro sumpta est.Hîc Notatio ex Caussa materiali est Et, 3.vers.20. Et vocauit nomen vxoris suæ Euam: quòd ipsa esset mater omnium viuẽtium. Notatio est ab Effectu. Et, 17.v.5. Non vocaberis vltra Abram: sed nomen tuum erit Abraham. Quia patrem multitudinis gẽtium posui te. Hîc ab Effectu vel adiuncta posteritate numerosa, Notatio est. Genes.27.v.36.Et dixit Esau: Rectè vocatũ est nomen eius Iacob.Nam bis me iam supplantauit.Notatio est ex Effectu.Exod.2.v.10. Et vocauit nomen eius Mose. Quia ex aquis extractus esset. Notatio est, ex adiuncta liberatione. 1.Sam.25.v.25. Noli quæso Domine mi, animum adijcere ad istum hominem malum Nabalem, qui verè est quod dicitur: Nabal enim dicitur, & Nabal: id est, stultus est.

I*NTERDVM* breuius hoc Argumẽtum in Nominibus præsertim Locorum. vt, Ierem.6.v.2. In Techua Ticheu: q.d. in clangore buccina clangite. Nã Techua, loci nomen, clangorem significat. Amos 5.v.5. Hagilgal Galô Iglé: & Bethel erit Betauen: q.d. Migratio migrabit, & domus Dei erit domus doloris. Gilgal enim migrationem significat: & Bethel domum Dei. Betauen domum doloris. Quare in his, ex adiuncto bello vel exilio, Notatio est. Vide plura similia Micheæ. 1.v.14. & deinceps. Vide etiã Figuram παρωνομασίαν in Tractatu de Figuris.

DE CONIVGATO.

C*ONIVGATVM est vox, ab eodem principio cũ Themate deducta, vt iustitia, iustus, iustè, iustificare, iustificari,* &c. *Quod et σύστοιχα Topicorum 2.cap.3. et σύζυγα, et Relatio ipsa συζυγία in Topicis Ciceronis appellatur. Cuius Species sunt:*

πτώσεις

παρώνυμα et παρώνυμα in Cathegoriis, quæ tamẽ generaliter accipi possunt: quò etiam casuum et Generum mutatio referri possit.

EXEMPLA.

Esai. 53. v. 11. Iustus seruus meus, multos sui cognitione iustificabit. Hîc iustificare Cõiugatum & Effectus est iusti. Ioh. 8. v. 36. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Hîc Liberum esse, Coniugatum & Effectus est liberationis à Christo factæ. Prouerb. 8. v. 36. Ego amantes mei, amo. Hîc amare Cõiugatum & Par est ad amantes. Sap. 6. v. 7. Potentes potenter tormenta patientur. Et, Matt. 21. v. 41. Malos malè perdet. Hîc potenter torqueri & malè perdi, potentium & malorũ Coniugata & Adiuncta sunt. Matth. 7. v. 1. Nolite iudicare, ne iudicemini. Hîc Coniugata sunt, vel Caussa & Effectus; vel Par cum Pari. Ioh. 8. v. 32. Si verè mei discipuli eritis, veritatem cognoscetis.

VEL Casu tantùm mutato: vt, Matth. 8. v. 22. Sine vt mortui sepeliant mortuos. Ioh. 3. v. 6. Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Et, 4. v. 24. Deus Spiritus est, Ergo Spiritu vult adorari. Coniugata sunt ex Simili. Et, 8. v. 32. Cognoscetis veritatem, & veritas vos in libertatẽ vindicabit.

VEL Genere mutato. Matt. 12. v. 33. Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, *&c.*

VEL Casu & Genere simul mutato. vt, v. 35. Bonus homo, ex bono cordis thesauro, bona depromit: Malus autem ex malo thesauro, mala depromit. Coniugata sunt Caussa & Effectus. vide πολύπτωτον in Figuris & παρονομασίαν etiam. Et Breuia illa Hebraica suprà, in Notatione posita, huc etiam aliquo modo referri possunt.

DECI-

DECIMVM ARGVMENTVM, TESTIMONIVM.

TESTIMONIVM est Argumentum, quod de Themate & alijs Argumẽtis cũ Themate collatis, testatur. Et aliàs Græcè μαρτύριον et μαρτυρία, et aliàs iudiciũ, κρίσις, κριτήριον, Autoritas, αὐτένθια, & quatenus verbis constat, Pronunciatũ. Qui autẽ testimoniũ dicit, Testis dicitur, Autor, Laudator, vel Iudex etiã. Et Testis interdũ Iniuratus, interdũ Iuratus, Testimonium dicit. Huius igitur Argumenti Notæ sunt, hæ ipsæ voces, et aliæ similes, vt testari, testificari, testimoniũ dare, testimonium dicere, testem vocare vel adhibere, et Synonyma. Atq; huc etiam spectant Lex, Sententia illustris, γνῶμαι, χρεῖαι, Apophthegmata, Prouerbia, Item fama et rumor, et similia.

Hoc autem Argumentum, pondus sumit à testis seu autoris Sapientia & virtute: & aliorum Argumentorum Natura. Vide Topica Ciceronis, & Rhetorica Arist. lib. 1. Cap. 2. Et lib. 2. cap. 1. Vnde et Dei de se & sua voluntate testantis amplissimũ testimonium est, cui fidem non adhibere, nefas est. Deus enim maximè Sapientia & virtute excellit. Et Scriptura proinde, quæ Dei quasi testimonium, de ipso est. ἀξιόπιστος est, principia ac demonstrationes suppeditat, & rationes etiam iudicio præiudicat.

In testimonijs autem quæ verbis constant, citandis, non tàm verborum, quàm sensus ratio habenda est, nec semper opus est verba annumerare, si modò sensus seruetur. Vnde & Apostoli non semper testimonia Prophetarum ijsdem verbis citant. Sic Moses Num. 14. vers. 17. Verba ipsius Dei, non ijsdem verbis, sed alijs, & multò breuiùs repetit ex cap. 34. vers. 6. Exod. Et eundem locum repetit Dauid Psal. 103. vers. 7. alijs verbis & multò fusiùs. Matth. 21. v. 5. Testimonium Zachariæ ex cap. 9. v. 9. Hoc modo citatur. Et verba Esaiæ, Rom. 9. v. 27.

v.27. & 28. Neq; etiam semper opus est, autoris & testis nomẽ exprimere, cùm id aliàs notum sit.

Testimonium autem quod ad hoc institutũ attinet, duplex esse potest, Scripturæ et Naturæ. Scripturæ est, quod ex scripto repetitur. Sic Dauid et Prophetæ ex Mose: Christus et Apostoli ex Mose, Dauide et Prophetis, doctrinæ suæ testimonia repetũt. Et Nouum Testamentum nihil est aliud, quàm perpetua quædam veteris Instrumenti citatio.

EXEMPLA.

Matth. 12. v. 7. Si noscetis quid sit: misericordiam volo & nõ sacrificium: nõ condemnassetis insontes. Quod ex Hosea, nomine dissimulato, cap. 6. v. 7. ad discipulos Christi excusandos, sumptum est. Et, 22. v. 32. de Resurrectione Mortuorum non legistis, quod vobis dictũ est, à Deo dicente: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob, *&c.* Quod ex Exod. 3. v. 6. ad mortuorũ resurrectionẽ probandam sumitur. Luc. 24. v. 25. Tum dixit ad eos: O amentes & tardi corde ad credendum omnibus quę locuti sunt Prophetæ, *&c.* Ioh. 5. v. 39. Scrutamini Scripturas. Nam illæ testificantur de me. Et, 4. v. 6. Si Mosi crederetis, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. Act. 10. v. 43. Huic omnes Prophetæ testimoniũ perhibent, *&c.* Et, 26. v. 22. Ego nihil doceo extra ea, quæ Prophetę & Moses prędixerũt futura: nempe quòd Christus esset passurus, *&c.* Esaias cap. 8. v. 20. Testimonium suæ doctrinæ ex Mose repetit: ad Legem, inquit, & ad testimonium. Et, Malachiæ 4. v. 4. Mementote Legis Mosis. Paulus ad Rom. Dauidis testimonio doctrinam suam de gratuita iustificatione cõfirmat ex Psal. 32. v. 1. ad Rom. 4. v. 6.

SIC etiam Dauid explicat beatitudinẽ hominis: cui Deus imputat iusticiã absq; operibus dicens: Beati quo-

rũ remissę sunt iniquitates: & quorũ tecta sunt peccata.

PETRVS etiam Pauli testimoniũ citat, 2. & 3. v. 15. Sicut & charus frater noster Paulus pro sibi data Sapiẽtia, scripsit vobis, *&c.*

PAVLVS etiam prophanorum autorum testimonia, sed rariùs, citauit, idq; ter tantúm. Act. 17. v. 28. In Concione de Deo apud Athenienses & Philosophos, Arati Poëtę testimonium citat: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν: id est, huius namq; genus sumus: id est, Dei progenies sumus. 1. Cor. 15. v. 33. docet: Nõ audiendos Epicuræos, qui vitã secuturam negabant, & proinde voluptatibus indulgebant: testimonio Menandri Comici: Mores bonos commertia corrumpũt mala. Ad Titum 1. v. 12. dixit: Quidã ex ipsis proprius ipsorum Propheta: Cretensis mendax, mala bestia, venter inersq;. Vbi Epimenidis testimonio vtitur, quo vult docere Cretenses acriter obiurgandos.

SCRIPTVRAE ergo Argumẽto, omnis narratio Historica tum sacra, tũ Prophana, & tota Euangelij doctrina, nititur. Creditur autẽ maioribus res gestas narrantibus, propter amorem veritatis, qui hominibus naturalis est: & propter στοργὴν erga liberos & posteros: propter quam non facilè illos falsis narrationibus seducunt.

IN testimonijs autem citandis summũ Sophisma est Sensum corrumpere. De quo Petrus 2. & 3. v. 15. cõqueritur: Sicut Carus noster frater Paulus, pro sibi data Sapiẽtia etiã scripsit vobis: vt qui in omnibus ferè Epistolis loquatur de istis. Inter quę sunt nõnulla difficilia intellectu: quę indocti parumq; stabiles detorquent: vt & reliquas scripturas, suo ipsorũ exitio. Corrũpitur autẽ Sẽsus trib. maximè modis: Ellipsi, Pleonasmo, & Enallage. De quib. sic scribit Tertullianus de Pręscriptionib. Hęreticorũ: Hęresis, inqt, si quas Scripturas recipit: eas adiectionibus, & detractionib. ad dispositionẽ sui instituti inter-

uertit:

uertit: & si recipit, nō recipit integras. Et si aliquatenus integras prçstat: nihilominus diuersas expositiones cōmēta, cōuertit. Et Philippus Melanchthon cōtra Staphylum: Vsitata, inquit, sunt hæc artificia Sycophantis, confundere diuersa, diuellere coniuncta, excerpere mutilata & affingere falsas Interpretationes.

ELLIPSIS *est, cūverbis quibusdā omißis sēsus corrūpitur.*

Mat. 4. v. 6. Dicitq; ei: Si Filius Dei es: iace te deorsum. Nam scriptū est: Angelis suis mādabit de te, vt tollant te manibus: ne quando offendas ad lapidem pedē tuū. Testimoniū est ex Psal. 91. v. 12. citatum. In quo Ellipsin cōmisit Sathā, vt Christo imponeret. Omisit enim hęc verba Psalmi & testimonij: *Vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Est etiam Ellipsis, cum ex vno Scripturæ loco, non considerata totius Scripturæ mente, nec aliorum locorum habita ratione, de doctrina pronunciatur.

PLEONASMVS *est, cùm verbis additis, sensus deprauatur. Ellipsis autem & Pleonasmus interdum coniungi solent, vt in Compositione & Diuisione, de quo Vigilius Martyr, lib. 4. Religiosis, inquit, dictus callidè insidiaris: superiora demis & sequentia non addis: & ita media eligis, vt verba sententiis exuas, ac ita in nudis pro arbitrio ludas.*

ENALLAGE *est, cùm vel verbis immutatis, vel iisdem etiam manentibus, sensus corrumpitur: vt, cùm quod figuratè dictum est, propriè accipitur, aut contrà: vnde controuersia oritur de scripto & sententia.*

Ioh. 2. v. 19. Et dixit Iesus: Destruite tēplum hoc: & tribus dieb. erigā illud. Vbi Christus Tropicè & Metaphoricè tēpli voce vsus est de suo corpore, v. 21. Ille aūt dixit de tēplo corporis sui. Hoc aūt Iudęi aliter & sine Tropo acceperūt, v. 20. Respōderūt ergo Iudęi: Quadraginta & sex annis ædificatū est tēplū istud, & tu trib. dieb. erigesi llud? Et falsi testes, Matt. 26. v. 61. Postremò aduenientes

duo falsi testes dixerũt: Iste dixit: Possum dissoluere templũ Dei, & triduo ipsum ędificare. Atq; hi tres fontes maximorũ Sophismatũ in doctrina Ecclesiæ etiã hodie sũt.

NATVRAE testimoniũ est, cùm ex ipsa natura hominis, testimoniũ sumitur. Quod priuatim κριτήριον appellatur. Estq; partim Diuinum, partim Humanum, & Superioris ferè appendix est. Estq; Sensus aut mentis. Sensus seu Experientiæ est, cùm ex sensu testimonium sumitur. Atq; hoc primum fuit doctrinæ cœlestis traditæ Argumentum. Prophetæ enim & Apostoli, & alij veteris Ecclesiæ homines pij, qui Deum ipsum & Christum docentem & miracula edentem audiuerunt & viderunt, testes doctrinæ oculati erant.

EXEMPLA.

Exod. 20. v. 22. Vos ipsi vidistis, quod è Cœlo locutus sim vobis. Ne ergo faciatis vobis Deos argenteos aut aureos. Deut. 1. v. 31. Vos vidistis quod Iehoua vos portauit in deserto: Sicut homo portat filium suũ. Quare pręsenti animo estote. Matt. 11. v. 4. Profecti renunciate Iohanni quæ auditis & videtis. Ioh. 20. v. 20. Et cùm hæc dixisset: ostẽdit eis manus & latus suũ. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. 2. Pet. v. 16. Nõ arte compositas fabulas secuti, vos docuimus de Domini nostri Iesu Christi potentia & aduentu. Nam ἐπόπται sumus maiestatis ipsius: id est, Spectatores, qui proprijs oculis maiestatẽ eius cõspexerimus. 1. Ioh. 1. v. 1. Quod erat à principio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus, & manus nostræ contrectarunt de Sermone vitæ, id annunciamus.

MENTIS est, cùm ex mente ipsa testimonium petitur. Atque huc Lex naturæ & Conscientia spectat.

EXEMPLA.

1. Cor. 11. v. 14. An ne natura quidẽ vos docet: quod viro

viro quidē comatū esse, dedecori sit. 2. Cor. 1. v. 12. Gloriatio nostra hæc est, testimonium videlicet conscientiæ nostræ: quod cum simplicitate & synceritate Dei: non cum sapientia carnali versatus sim in mundo, potissimū apud vos. Ad Rom. 2. v. 14. Nam cùm gentes quę legem (Scriptam) non habent, natura quæ legis sunt, faciunt: sibiipsis sunt Lex: vt qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: vnà testimonium reddente ipsorum conscientia: & cogitationibus sese mutuò accusantibus aut excusantibus. Vbi Paulus naturæ, mentis & conscientiæ testimonio gentes reas peragit coram Deo. Atque hactenus de prima Dialecticæ parte, Argumentorum inuentione.

DE ARGVMENTORVM DISPOSITIONE ET IVDICIO.



OCTRINA Inuētionis et Argumentorū iā exposita, & exēplis Sacræ Scripturæ illustrata, vt hoc tēpore nobis in mentē venit: nunc vt Argumentorū vsus magis cōspiciatur, breuiter de eorū, cum Themate et inter se, Dispositione & Dispositionis Iudicio, aliqd addā: Quātū quidē ad Sacræ Scripturæ vsum, tractationē et explicationē doctrinæ cœlestis, vtile & necessariū esse videatur. Vt enim literarum vsus in earum coniunctione, quæ in Syllabis et vocibus fit, cōsistit: ita et Argumētorum vsus, in Dispositione et Cōiunctione, ipsorum, cum Themate et inter se consistit. Dispositio igitur est altera pars artis, de argumentis cum Themate et inter se disponendis. Quæ et iudicium et κρίτηκι dicitur. Hæc, doctrinam Inuentionis, quæ per se infinita et quasi vaga est, ad numerum quendam certum et finitum, astringit: et ad vsum in docendo accommodat, vt ea tantùm proponantur, quæ verè et rectè proponi poßint et debeant.

DISPOSITIO autē duplex est, Simplex & Cōiuncta. Simplex est Enunciati. Enunciatū autem est argumēti cū Themate Dispositio. Estq́ue quasi Syllaba: vel quasi domus, constans vxore & viro, vt ait Valla. Quod Aristoteli ἀπόφανσις, id est Ciceroni Enunciatum, Enūciatio. Pronunciatum, Pronunciatio, Effatum, et πρότασις: id est, Propositio dicitur. Aliàs etiam λῆμμα: id est, Sumptum, λῆψις Sumptio. θέσις positio, sed rariùs dicitur: in arte autem priuatim, Præceptum, Præceptio, Documentum, Theorema, Consiliū, Monitum: & Metaphoricè Norma, Canon, Regula. Stoicis etiam κατάληψις & σὺγκατάληψις: id est, perceptio & comprehensio. Et apud Platonem in Minoë, etiam Lex dicitur. Et cùm euidens & per se notum est, Aristoteli ἀρχὴ: id est, principiū. Item ἀξίωμα & κοιναὶ ἔννοιαι: id est, communis sententia.

EXEMPLA.

CHRISTVS est Filius æterni Patris & Mariæ Virginis.

Christus est caussa & autor salutis nostrę.

Christus est natus Bethlehemæ.

Christus est natus tempore Herodis, & passus sub Pontio Pilato.

Christo aduersatur Belial & Antichristus.

Christus est similis Agno & Leoni.

Christus constat natura diuina & humana.

Christus ergo est persona constans natura diuina & humana.

Christus dicitur quod vnctus sit Rex & Sacerdos. Hebraicè Messias. Dicitur & Iesus, quòd populum suum seruet.

H*AEC omnia autoritate & testimonio Sacræ Scripturæ doceri & probari possunt: vt in Argumentis factum est.* Sic,

Fides

Fides est donum Dei, & Spiritus Sancti per verbum efficacis.

Fides iustificat.

Fides est in mẽte & voluntate: & intuetur Promissionem, Misericordiam promissam, & alia bona promissa.

Fides habet comites, Timorem Dei, Spem, Patientiã, Caritatem, *&c.*

Fides pugnat cum diffidentia & desperatione.

Fides est similis manui, munus oblatũ apprehendẽti.

Fides constat notitia verbi & promissionis: & fiducia misericordiæ promissæ.

Fides ergo est Notitia verbi & fiducia Misericordiæ.

Fides est à Græco πείτω, quod ab Hebræo *Pasa* est: id est, persuadeo. Significat enim certam persuasionem. Græcè πίστις, aliàs πεποίθησις. Item ἔλεγχος & πληροφορία, Hebraicè *Emona*. Atque hæc omnia testimonijs Sacræ Scripturę doceri & probari possunt.

ENVNCIATI LEGITIMI IN OMNI DOCTRINA, AFFECTIONES ET Leges Generales.

ENVNCIATVM Legitimum in doctrina quidem cõmuni, verum & vtile est: In accurata autem Affirmatum & Reciprocum: in arte etiam Catholicum.

DE VERO ET VTILI.

DOCTRINAM communem in præsentia appello, in qua vel verum docetur, vel falsum refellitur. Hîc ergo Enũciatum omne legitimum verum & vtile est.

Verum est, in quo Argumẽtum de Themate verũ est. Quam veritatem in Philosophia sensus et ratio rem ipsam cõsiderans, dijudicat: In Theologia autem Scriptura ipsa, ex Grãmatica et variorum

variorum locorum collatione rectè intellecta. Falsum autem contrà est: Quod summum in omni doctrina vitium et Sophisma est. Quod vel ex simplici ignorantia: vel malitia existere solet. Ad Sophisma autem Falsi, spectant omnes ferè Fallaciæ ex locis, Vt Fallacia secundum non caussam vt caussam: secundum nō Effectum vt Effectum, &c. *ex quibus falsa Enunciata existunt. Et cùm res serio agitur, non solùm Fallaciæ, sed etiam Calumniæ sunt et exitiosa mendacia.*

De hac lege Aristoteles Ethicor. 1 cap. 6. sic ait: Etsi, inquit, nobis difficilis existit quæstio, quòd nobis amici sint, qui Idæas induxerunt: tamen æquum est veritatis caussa etiā sua decreta tollere, philosophos præsertim. Etsi enim vtrique cari sunt: tamen pium est pluris æstimare veritatem. Et Christus Matth. 5. v. 37. Sit sermo, inquit, vester est est, non non. Et ad Philippenses 4. vers. 8. Quod reliquum est, quæcunque sunt vera, ea cogitate. Diligenter igitur videndum, vt doctrina ad veritatem potiùs quàm autoritatem aut opiniones hominum dirigatur: & nō solùm quid Aristoteles aut Plato dixerint: sed etiam quid sensus & ratio sana probēt, cōsideretur. Tum in Scriptura, qua fide testimonia Scripturæ ad dogmata, ab interpretibus citentur.

DE VTILI.

ENVNCIATVM *vtile est, quod vsum in vita habet: & priuatim quod ad rem propositā, et audientium vsum et capiū et locum et tempus accommodatum est: Specialiter autem in Theologia vtile est, quod ad Dei gloriam et ædificationem Ecclesiæ pertinet: et in animis hominum pietatem alat et augeat. Inutile contra est.*

DE hac lege Isocrates in laudatione Helenæ: Multò, inquit, satius est de bonis & vtilibus rebus, præclaram senten-

ſententiam, quàm inutilium exquiſitam habere ſcientiam: & in magnis modis ſe excellere, quàm longè pręſtare in paruis, & nihil adiumenti ad hanc vitam adferentibus. Et Matt. 12. v. 36. De omni otioſo verbo reddituri ſunt homines rationem in die iudicij. Et, 1. Cor. 14. verſ. 26. Omnia fiant ad ædificationem Eccleſię. 2. ad Tim. 2. v. 12. Hæc ſuggere obteſtans, ne verborum pugna ſectētur quod nullam adfert vtilitatem. Et, ad Tit. 3. Hæc volo te proponere & aſſerere: quæ ſunt honeſta & vtilia hominibus. Stultas autem Quæſtiones fuge: ſunt enim inutiles & vanæ

DEBET igitur is, qui docet, altero quidē oculo veritatem: altero verò vtilitatem & neceßitatem doctrinæ ſemper intueri, & ad hæc duo doctrinæ curſum dirigere.

De veritate autem & vtilitate doctrinæ iudicare et cenſere hominis prudentis eſt, & in ſua arte artificis: qui ætate & vſu valet, & in negotijs vitæ & doctrinæ & artis meditatione diu & ſedulò verſatus eſt. Nam vt Plato 2. de Legibus ait: Beatus eſt, cui vel in Senecta contingit, vt Sapientiam & veras opiniones firmas aſſequi poßit. Rudiorum autem et Imperitorum, quorum adhuc infirmum eſt iudicium, eſt ex iudicio & autoritate præceptorum & peritiorū pendere: in ijs præſertim, quæ obſcuriora & magis controuerſa ſunt, & captum eorum ſuperant. Nam vt ait Ariſtoteles Elench. 1. cap. 1. Diſcentem oportet credere.

SECVNDVM DE DOCTRINAE ACCVRATAE ENVNCIATO, AFFIRMATO & Reciproco.

D*OCTRINAM accuratā in præſentia voco in qua verum tantùm, idq́ breuiter docetur: In hac ergo Enūciatum debet eſſe Affirmatum & Reciprocum.*

DE AFFIRMATO.

AFFIRMATVM eſt, in quo argumentum de Themate affirmatur. Negans contrà. Affirmatio autem ideò ad doctrinam accuratam eſt neceſſaria: Quia Affirmatio Negatione & prior ſeu notior, et breuior eſt, vt ait Ariſtoteles Poſt. lib. 1. cap. 21. Prior autē & Notior eſt: Primùm, Quia Affirmatio eſt eius quod eſt, & proinde ſcientiæ et doctrinæ eſt, Poſteriorum lib. 1. ca. 11. Sciẽtia τοῦ τί ἐσι καταφάσεως eſt: id eſt, Scientia Eſſentiæ & Definitionis, affirmationis eſt. Affirmatione igitur quod verum eſt, docetur. Negatio autem contrà eſt eius quod non eſt. Vnde et Iureconſulti dicunt: Negantis nullam eſſe probationem L. aſſeueratio et L. actor C. de probationibus. Ac proinde Negatio non ſcientiæ aut virtutis eſt: ſed inſcientiæ et vitij atque erroris. Nec tàm docentis eſt, quàm dedocentis: et falſas opiniones et Enunciationes, et inutilia conſilia improbantis et refutantis: et vitia et errores in agendo commiſſos reprehendentis. Itaque Negatione id quod falſum et vitioſum eſt reijcitur. Et inficiatio expeditiſſima ſolutio eſt. Fabius lib. 3. cap. 8. Fortiſſima, inquit, tuendi ſe, ratio eſt: ſi quod obijciatur, negari poteſt. Vnde et notatum eſt in Euclide Quatuor tantùm propoſitiones et demonſtrationes Negatiuas eſſe.

Deinde Prior et Notior eſt, Quia ex affirmatione veri, Negatio falſi intelligitur: non contrá. Sic qui intelligit Quid ſit homo: is ſtatim intelligit Quid non ſit, nempe nec lapis, nec arbor: non autem contrá. Sic exempli etiam cauſſa de Deo & Religione ait Lactantius, Philoſophos aſſecutos eſſe, vt intelligerent Quid non ſit: illud autem aſſequi nequiuiſſe, vt intelligerent Quid ſit. Non aliter ac Quid intelligit quid recta linea ſit: mox etiam quæ curua ſit, intelligit.

Præterea, quia Affirmatio Negationē probat et demonſtrat: non autem contrà, vnde fit in omni Syllogiſmo, altera minimum præmiſſarum affirmatiua eſſe debeat. Et ex puris & meris

ris Negatiuis nihil concludi poßit.

Breuior etiam est Affirmatio seu doctrina Affirmatiua quàm Negatiua. Quia plus vno verum esse non potest, & Affirmatio, vt veritas ipsa et rei cuiusq; natura Simplex & Finita est: Negatio autem vt falsum varia et infinita est: vt linea recta vnica est: Curuæ autem infinitæ. Pauca enim sunt, quibus in cuiusque natura continetur: quæq; de re, verè et necessariò affirmari poßint. Quæ autem de re negari poßint, infinita sunt: multò enim plura extra rem sunt, quàm in re. Quare affirmatio, doctrinam finitam & breuem efficit: vnde et Galenus λόγος ἀποδικτικὸς ἐλάχιστος: id est, vera et affirmatiua doctrina breuißima est: Negatio autem doctrinam longam et infinitam efficit. Sic in Theologia, omnes errores et prauas opiniones hæreticorum exquirere, et negando et refutando persequi velle, doctrinam infinitam efficeret. In doctrina ergo accurata et breui, verum primum affirmatè tradendum est: falsorum negationes, inficiationes, refutationes, præmittendæ et ad fusiores commentarios reijciendæ sunt.

Sed quia interdum, Contraria iuxta se posita magis elucescunt: ideò sicubi affirmatio ex negationis collatione illustrari poßit: etiam Negatio, interdum quasi argumentum Dissentaneum affirmationi subijci poßit.

DE RECIPROCO.

RECIPROCVM est, in quo argumentum themati proprium est, et soli conuenit, ac proinde Reciprocè verum est. Non Reciprocum contrá. Sic Reciproca sunt: Deus est mundi conditor, et conditor mundi est Deus. Christus est filius Dei et Mariæ, Et filius Dei et Mariæ est Christus. Christus est generis humani redemptor, Et redēptor humani generis est Christus. Dauid Goliathum interfecit: Et Goliathi interfector est Dauid. Solomon primum Templum Ierusolymæ condidit: Et conditor primi Tēpli Ierusolymæ est Solomon. Omnia enim argumenta

Themati propria esse possunt: maximè consentanea: & in his, Caussa, Effectus, Subiectum, Adiunctum, Diuisio & Definitio. Quare Reciprocatio non est solùm Definitionis & Diuisionis: sed etiam aliorum argumentorum: inprimis autem Definitionis & Diuisionis esse debet. Quæ duo argumenta maximè ad artes tradendas idonea sunt.

DE hac lege sic ait Aristoteles post. 1. cap. 9. In disciplinis vix fieri potest, vt non reciprocentur ea, quæ assumuntur. Propterea quòd non Accidentia: sed Definitiones ad docendum vnumquodque adhibentur. Atq; hac in re disciplinæ & artes differunt ab ijs sermonibus, qui in disputatione ac Dialogis continentur. Quod autem hæc lex non solùm artis & vniuersalium, vt vult Aristoteles in Analyticis: sed etiam historiæ & singulariũ sit, ipse etiam Aristoteles in Rhetoricis autor & testis est: eo loco, quem suprà de Argumento citauimus. Vt enim Generalium Thematum Generalia Argumenta propria sunt, ita & singularium Singularia propria sunt, Rhetoricorum lib. 2. cap. 21. In dicendo, inquit, non respiciẽdum est, ad ea argumẽta, quę Infinita sunt: sed ad ea, quæ rei, de qua sermo est, insunt: Ac ea potissimũ eligẽda sunt, quæ ad rem ipsam, quã proximè accedũt. Hęc enim ad docendũ & persuadendũ sunt accõmodatiora: quæ min⁹ sunt Cõmunia. Voco autẽ Cõmunia hoc modo: vt si quis Achillem laudet quòd Homo sit, quòd Heros, quòd ad bellũ Troianũ profectus sit. Hæc enim alijs etiam multis cõpetunt. Quare qui hęc commemorarit, non magis Achillem, quàm Diomedem laudarit. Propria autem illa dico: quæ nemini alij contigerunt aut competunt: vt quòd Hectorem Troianorum fortissimũ interfecerit: & Cygnum, qui cùm vulnerari non posset, Græcos omnes è nauibus descendere prohibuit: & quòd

quòd omnium eſſet maximè iuuenis: & quòd iureiurando nō aſtrictus ad id bellum profectus ſit, & alia eius generis. Hæc Ariſtoteles, quibus manifeſtè docet hanc Legem, non ſolùm in arte, ſed etiam in hiſtoria: nec ſolùm in Dialectica: ſed etiam in Rhetorica in docendo & dicendo locum & uſum habere.

DE ARTIS ENVNCIATO CATHOLICO.

ARTEM appello Doctrinam, quæ perpetua eſt. In hac ergo Enunciatum omne Catholicum eſſe debet. Catholicum autem eſt, cuius Subiectum perpetuum & numero finitum eſt. Quintilianus lib. 2. cap. 13. Vniuerſale & Perpetuale appellat. Eiuſmodi ſunt primum omnium Deus ipſe, tum mundus domiciliū Dei & hominum, & eius partes principales Cœlum quaſi laqueare, Sol, Luna, quinq; Planetæ, Stellæ certæ magnitudinis et numerabiles: tum Elementa, terra primum ſolum et pauimentum huius domicilij, tum aqua, flumina et fontes, quibus terra irrigatur, tum aër, quo perflatur et quaſi verritur. De his enim et eorum natura, quatenus ab homine cognoſci poſſunt, et eorum affectionibus conſtans et neceſſaria ſcientia eſt, vt eſt in Theologia, in Phyſica, Aſtronomia, &c. In rebus autem infinitis et caducis, eorumq; Effectis et Adiunctis ſola Genera et Species perpetua ſunt, et ad artes apta: vt, Angelus, Homo, Animal, Stirps, Grando, Nix, et hominis adiuncta Theologica: Peccatum, Fides, Pœnitentia, &c. Rebus enim ſingulis intereuntibus, Genera et Species manent et propagantur, huius propagationis cauſſa et domicilium eſt Deus et Mundus. Atque de his dicitur: Singularium non eſſe ſcientiam aut artem. Ethicorum 2. cap. 2. Singularia nec ſub artem nec ſub præceptionem vllam cadunt. Et Ethic. 1. cap. 2. Nulla ars conſiderat res ſingulas: vt, Medicina non docet quid Socrati aut Calliæ ſalutare

tare sit: sed quid homini hoc aut illo morbo laboranti. Hoc enim quod Generale est, ad artem pertinet. Singularia autem infinita sunt: nec scientia comprehendi possunt. Et Galenus lib. 2. de Differentiis pulsuum non in Dione pleuritico: sed in Commentatione Generum et Specierũ artes sunt positæ. Hæc ille. Quare et Plato à Generalißimis ad Specialißima profectos quiescere iubebat, vt Porphyrius in capite de Specie ex Philebo Platonis repetit.

Vt autem in rebus singulis & æternis Scientia seu ars & historia idem ferè est: ita in caducis & infinitis rebus, artis & historiæ diuortium atq; discrimen fit & apparet. Ars enim vniuersalium. Historia autem Singularium est. Etsi autẽ ars & artis Enunciata omnia Catholica sint: tamẽ exempla singularia ex historia & rebus singulis assumunt: ita etiam historia sæpè ex artibus generalia præcepta & monita accipit, & singularibus ipsis adiungit. Hoc autem præceptum non tantùm in artibus, sed in alijs etiam doctrinis vsum habet, quæ vel artem imitantur, vel artis quasi particulæ sunt. Seneca ad Marsiam de Cõsolatione, cap. 2. Scio, inquit, omnes, qui monere aliquem volunt: à præceptis incipere, & in Exemplis desinere.

Hæ ergo quinque sunt leges Enunciati legitimi, in omni doctrina, tum communi tum accurata & artificiosa. Quas quisque in docendo respicere & sequi debet. Quæ ex parte à Platone in Minoë plenius autem à Galeno de Optima Secta ad Thrasybulum: accuratißimẽ ab Aristotele Post. 1. cap. 4. propositæ & explicatæ sunt. Et Aristoteles quidem tres tantùm leges proponit: quas Enunciati artificiosi Leges tantùm esse vult. easq; tribus notis breuiùs exprimit, quæ sunt, κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον: id est, de omni, per se, & vniuersale primum.

Quod autem eas leges non solùm ad artes Mathematicas: sed etiam ad omnes omninò artes & disciplinas pertinere velit Aristoteles: inde patet, quòd in iis duobus libris, non solùm de

de disciplinis Mathematicis: sed in genere de omnibus artibus & scientiis agat: in quibus res veræ simpliciter exponuntur, quas ideo Dialogis & disputationibus, per interrogationem & responsionem factis: in quibus etiam verisimilia, παραλογισμοὶ & vitiosæ ratiocinationes locum habent, opponit, Post. 1. cap. 9. Quasq; tam latè patere ait, quàm patet sensuum vsus, cap. 14. & cap. 9. Medicinam & Physicam disciplinas appellat. Et Galenus de Opt. Secta ad Thrasybulum: Omnium, inquit, artium & scientiarum præcepta, æquè sunt perpetua et æterna.

Sed in his tribus legibus Aristotelicis et obscuritas quædam est propter brevitatem. Nam prima Lex, De omni, complectitur non solùm veritatem, necessitatem et vniuersalitatem: sed etiam affirmationem: Deinde, secunda Lex Per se, rursum et veritatem et necessitatem includit: Tertia autem, vtramque præcedentem, et insuper Reciprocationem complectitur. Præterea vniuersale Primum non est solùm artis, sed etiam Historiæ, vt ex ipso Aristotele docuimus. Quare nos paulò aliter has Leges distinximus et proposuimus, vt et faciliùs intelligi et ad vsum rectiùs transferri possint.

Atq; hoc Enunciati iudicium totius reliqui iudicij fundamentum est. Hoc enim omnium artium omnes omninò Enunciationes per se claræ et manifestæ iudicantur, et omnis omninò Quæstio, cui non posit responderi Ita vel Non, hoc Enunciati iudicio iudicatur. Vt cùm quæritur Quæ Caussæ, Quæ Effecta, Quæ Subiecta, Quæ Adiuncta, Vbi est, Quando erit, Quæ Partes, Quid est, &c. Nam si respondeas quod quæritur, acquiescit auditor, quærereq; vltra et dubitare desinit.

Ac postea, quicquid iudicatur, ope huius iudicij iudicatur.

DE

DE PARTIBVS ET SPECIEBVS ENVNCIATI.

PARTES Enunciati ſunt duæ: quarum prior ὑποκείμενον Subiectum, poſterior κατηγορούμενον Prædicatum dicitur: quorum illud ferè thema: hoc Argumentum eſt, poſſunt & Antecedens & Conſequens ſeu prior & poſterior dici. Hinc Enunciatio in Species diuidi ſolet, nempe Simplicem & Coniūctam.

Simplex eſt, quæ partibus Simplicibus conſtat. Atque hic breuiſſima Enunciatio & Oratio eſt, quæ Nomine & Verbo tantùm conſtat, vt ait Plato in Cratylo, vt Deus eſt, Chriſtus reſurrexit, Fides iuſtificat. Hæc deinde alijs vocibus partim ad Nomen, partim ad Verbum pertinentibus, augetur.

Nam quod de tribus partibus, Subiecto, Prædicato & Copula vulgò dicitur, id Speciale eſt, nec omnibus Enunciatis competit. Definitiones quidem & Diuiſiones verbo Subſtantiuo gaudent. Sed multa alia argumenta ſunt, quæ id non habent, & ipſum verbum Subſtantiuum verbum etiam eſt, & prædicatum conſtituit, vel ſolum, vel cum alijs vocibus adiunctum: vt, Deus eſt, Deus eſt bonus. Et quanquam verbum omne in Participium & verbum Subſtantiuum reſolui poteſt, vt Fides eſt iuſtificans: tamen ea reſolutio & periphraſis verbi, quæ Græca magis quàm Latina eſt: non eſt neceſſaria. Satis enim eſt, vſitatè loqui, & vſitato ſermone, ſententiam exprimere & intelligere.

Compoſitum ſeu Coniunctum eſt, quod duo ſimplicia continet vinculo aliquo Relatiuo connexa. Cuiuſmodi vincula ſunt, primùm nomina Infinita & Relatiua, Qui, Quicunque, Quiſquis: item Qualis, Quantus, Quot, &c. Deinde Aduerbia, vt Cùm, Quando. Poſtremò. Coniunctiones, vt Si & Aut: vulgò autem ea ſola Compoſita, Hypothetica dicitur: quæ vinculo Coniunctionis conſtat: Reliquæ omnes Cathegoricæ. Verùm

hîc

hîc obseruandum est, & Simplices omnes in compositas mutari posse: & contrà, Compositas in Simplices resolui, eadem manente sententia: vt Homo est animal: Qui homo est, animal est. Si quis homo est, animal est. Si homo est, animal est. Item, Credens saluabitur, Qui crediderit, ille saluabitur. Si quis crediderit, seruabitur: Si homo crediderit, seruabitur. Quare an hæc Distinctio Enunciati necessaria sit, dubitari potest. Et ex partibus oritur: quare partium magis quàm totius esse videtur: vnde & suprà monuimus & Thema & Argumentum interdum singulis vocibus, interdum pluribus contineri.

DE SYLLOGISMO.

HACTENVS dispositio simplex fuit: sequitur Coniuncta. Ea est plurium Enunciatorum dispositio: à Generali ad Speciale progrediens ac proinde ex diuisione originem trahens. Omnis enim artificiosa Enunciatorum Dispositio à generalibus, vt finitis et perpetuis, ac proinde natura prioribus & notioribus, ad Specialia progreditur. Vide Aristotelem cùm alibi, tum Post. 1. cap. 20. Quare omnis eiusmodi legitima Dispositio Enunciatorũ ex loco Diuisionis oriri videtur. Huic autem Dispositioni frequens ὑρύψις & occultatio opponitur, constans Ellipsi, Pleonasmo & Enallage.

DISPOSITIO igitur Coniuncta duplex est: Syllogismus & Methodus. Syllogismus est Dispositio coniuncta, qua argumentum cum thematis compositi & dubij parte vtraq; in duobus Enunciatis certis et notis, vel iam antè creditis disponitur: vnde thema, quod antè dubium erat, certò & necessariò concluditur. Quæ si ex veris & certis tantùm constat, Demonstratio ab Aristotele dicitur. Ex certis enim & notis seu creditis, incerta, ignota, & nondum credita docentur. Ea enim rationis conclusio probanda est, quæ ex rebus non dubijs, id quod dubitabatur, efficit, vt ait Cicero.

Sæpè autem fit, quod per se verum & certum est, homini indocto, rudi & imperito, minus notum & certum sit, minusq; verum videatur propter imperitiam. Quare hic ex ijs quæ antè didicit, Syllogismo docendus est. Nam quod omninò per se in rerum natura incertum & ignotum est, id nec simpliciter, nec syllogismo doceri potest. Et ad Syllogismum omnia, quæ dubia sunt, reuocanda et exigenda.

Duo autem prima Enunciata, simul Antecedens: Tertium Consequens dici potest: Aristoteli συμπέρασμα *est: id est, Conclusio, Ciceroni et Quintiliano Complexio. Et antecedentis Enunciatio prior, propositio Ciceroni est, posterior Assumptio. Et hæc semper affirmata esse debet. Argumentum autem in propositione antecedit, in assumptione sequitur, ac videndum est, vt Argumentum totum in assumptione repetatur. Ad Syllogismum autem connectendum, primùm Thematis: Deinde Argumenti habenda est ratio: Tertiò Dispositio Argumēti cum Themate instituenda est.*

Syllogismus duplex est, Affirmans et Negans. Affirmans est, qui ex vtraq; antecedentis affirmata thema affirmans concludit, et solus vt Enunciatum affirmans, ad docendum aptus est. Nec refert generaliter an specialiter concludit: vt,

Conditor mundi est Deus, Genes. 1. vers. 1.
Christus est conditor mundi, Col. 1. vers. 16.
Christus ergo Deus est.

Vel Propositione composita: vt,

Qui mundum condidit, Deus est.
Christus mundum condidit.
Christus ergo Deus est.

Vel per vinculum coniunctionis Si, et nominis Quis.

Si quis mundum condidit, Deus est.
Christus mundum condidit.
Christus ergo Deus est.

NEGANS

NEGANS est, qui ex altera antecedentis negata, thema negatiuum concludit,& ad refutandum idoneus est. Hic si Argumẽtum compositum negationem continet, etiam assumptio negata esse potest: Sed quæ negatione transposita ad affirmatiuam reduci possit: vt,

Qui non est mundi conditor, non est Deus.
Idolum non est conditor mundi. Ierem. 10. v. 11.
Idolum ergo non est Deus.

Negatiuum Argumentum ad affirmationem reduci potest, negatione transposita: vt,

Qui est non conditor mundi, & Idolum
Est non conditor, quomodo Hebræi loquuntur.

Vel per coniunctionem Si & nomen Quis.

Si quis mundum non condidit, non est Deus.
Idolum mundum non condidit.
Idolum ergo non est Deus.

Syllogismus igitur per ea quæ certa & nota sunt: ea quæ incerta & ignota sunt docet hoc modo & concludit: non aliter atq; rerum mensuræ & pondera ignota, rerũ notæ mensuræ & põderis collatione docẽtur. Et quod Pindarus Odæ 7. Nemeorũ ait: Ad veritatem seu bonam caussam tria verba sufficere: id etiam de Syllogismo dici potest, in quo tres termini, Argumentum maior, & minor terminus, veritatem concludunt.

Hæc autem Dispositio, quam in præsentia generaliter, pro generali & legitima Dispositione posuimus, Aristoteli prima figura est, quam omnium perfectissimam, & ad docendum accommodissimam esse docet, quòd ea ex generalibus ad specialia progrediatur, Poster. 1. v. 20. Sed non solùm perfectissima, sed sola etiam perfecta & διδακτικὴ esse videtur, ac sola omnino generalis est, & omni Themati seu quæstioni affirmanti & neganti, generali & speciali concludendo apta est. Ac commodissimum videtur ad docendum vnam Syllogismi dispositionẽ

legitimi proponere, ut unam Methodum generalem. Quæ postea pro dicentis arbitrio, magis quàm docendi lege variè immutentur. De qua varietate in Syllogismo nunc dicendũ est.

DE CRYPSI SYLLOGISMI.

ΚΡΥΨΙΣ Syllogismi est immutatio & occultatio. In qua etsi verum etiam necessariò concluditur: tamen id minus perspicuè & manifestè fit. Quare ad Iudicij facilitatem & certitudinem κρύψις omnis ad formam Syllogismi expositam reuocãda est. Hæc κρύψις in sermone hominum quotidiano, & omnis generis scriptis Sacris & prophanis longè quàm ipse Syllogismus vsitatior est: tum propter consuetudinem & loquentium atq; dicentium libertatem: tum ad auditorem oblectandum, eiusq; fastidium leuandum: de qua Crypsi vide Priorum 2. 20. Topicorum 8. cap. 1. Elenchorum 2. 14.

κρύψις est duplex. Numeri & Ordinis. Numeri rursum duplex est, ἔλλειψις καὶ πλεονασμός.

ELLIPSIS.

ELLIPSIS seu defectus est, cùm è trib. enunciatis Syllogismi vnum aliquod omittitur, vel desideratur. Vnde Syllogismus Imperfectus fit, & Enthymema dicitur. Prio. 2. v. 27. Ad iudicandum autem, quod desideratur, restituendum est. Estq; triplex Ellipsis: vel Propositionis: vt,

Christus mundi conditor.
Christus ergo Deus est.

Vel Assumptionis: vt,

Qui mundum condidit Deus est.
Christus ergo Deus est.

Vel Complexionis: vt,

Qui mundum condidit Deus est.
Christus autem mundum condidit.

PLEO-

PLEONASMVS.

PLEONASMVS seu redundantia est, cùm ad tres Syllogismi Enunciationes aliquid accedit. Et Aristoteli προσυλλόγισμος & πρόσθεσις: id est, adijcio dicitur. Prior. 2. vers. 26. Qui Syllogismus redundans dici potest. Atque huc spectat Sorites, & Expolitio Rhetorica ex parte. Hic autem quod ad iudicandum redundat, detrahendum est.

Accedit autem vel Argumentum vnum vel plura, vel aliqua antecedentis exornatio aut approbatio. Ex Argumento etiam duplicato etiam enunciationes Antecedentis multiplicantur: vt,

Quicunque mundum condidit: & qui Filius Dei est, is Deus est.
Christus autem & mundũ cõdidit, & Filius Dei est.
Christus ergo Deus est.

Hic in Antecedente duo Argumenta sunt et quatuor Propositiones, & proinde duo Syllogismi in vno potestate sunt. Atq; hoc modo plurium Syllogismorum ad idem Thema pertinentium summa, pro Syllogismo comprehendi potest & solet.

Exornatio vel approbatio accedit: vt,

Qui mundum condidit Deus est: quoniam ea vis & potentia solius Dei est, vt tota Scriptura testatur.
Christus mundum condidit, vt testatur Apostolus ad Coloss. 1. v. 16.
Christus ergo Deus est.

ENALLAGE.

ENALLAGE est ordinis & loci immutatio. Estque vel Enunciatorum vel partium enunciati. Enunciatorum triplex est, pro triplici Enunciatione.

Prima, cùm assumptio primo loco est, Propositio secundo: vt,

Christus mundum condidit.

Quicunque autem mundum condidit, Deus est.
Quare Christus Deus est.

Atq; hanc Dispositionem Valla etiam in prima figura probauit, qui à priori Thematis parte ad posteriorem progreditur: sed contra artis naturæ leges, quæ à generalibus ad specialia progreditur. Villichius etiam hinc quartam figuram efficere voluit, quod non est necesse, cùm sit tantùm κρύψις veri Syllogismi. Et si hinc figura facienda est, etiam ex sequentibus Inuersionibus figuræ fieri possent.

Secunda, cùm Complexio primo loco collocatur. Eaq́ue duplex. Complexionem enim sequitur vel Propositio, vel Assumptio.

Propositio: vt,

Christus Deus est.
Quicunque enim mundum condidit, Deus est.
Christus autem mundum condidit.

Assumptio: vt,

Christus Deus est.
Christus enim mundum condidit.
Quicunque autem mundum condidit, Deus est.

ENALLAGE PARTIVM, ET PRIMVM CONVERSIO.

ENALLAGE *partium in Enunciatis, est cùm ordo partium Thematis & Argumenti in antecedente mutatur. Estq; duplex, Conuersio, & Transpositio.*

Conuersio est, cùm ordo partium vnius Enunciati immutatur, eadem manente sententia, Græcè ἀντιστροφή. De qua Prior. 1. cap. 2. agit Aristoteles. Latiùs autem patet hoc loco conuersio, quàm reciprocatio, de qua in Enunciatis dictum est.

Conuer-

Conuertitur autem simpliciter reciproca, cùm affirmans tum vniuersaliter negans, & particularis affirmans.

Reciproca affirmans: vt,

Deus est mundi conditor:
Et mundi conditor est Deus.

Negans vniuersalis: vt,

Nemo credentium perit.
Et nemo pereuntium credit. *Vel,*
Qui mundum non condidit, non est Deus:
Et qui non est Deus, non est mundi conditor.

Particularis affirmans: vt,

Quidam diuites Deo placent.
Et quidam Deo placentes sunt diuites.

Non simpliciter conuertitur affirmatiua vniuersalis. Nam vel conuertitur in negatiuam vtrinq; negantem, quod vulgò Contrapositio dicitur: vt,

Deus est mundi conditor.
Et qui non est mundi conditor, non est Deus.

Et hæc contrà in illam conuertitur.

Quòd si autem in affirmatiua vniuersali prædicatum subiecto latius est: conuersio fit in particularem affirmatiuam, quod vocant per accidens conuerti: vt,

Homo est animal.
Et quoddam animal est homo. *Item:*
Christus est pauper:
Et quidam pauper est Christus.

Cùm autem Propositio Syllogismi reciproca est, Argumentum in assumptione vel præcedit, vel sequitur indifferenter, eadem manente ferè vi concludendi & complexione. Conuersio ergo Syllogismi, vel est propositionis, vel assumptionis. Propositio conuertitur vel affirmata & reciproca: vt,

Qui Deus est, mundi conditor est.

Christus mundi conditor est.
Christus ergo Deus est.

Hîc Propositio simpliciter conuersa est: vnde Argumentum in vtraq; antecedentis consequitur. Valet autem connexio, non vi dispositionis, sed vi propositionis reciprocæ, vt modò dictum est, vel negata, idq; vel simpliciter: vt,

Qui non est Deus, non est mundi conditor.
Idolum non est mundi conditor.
Idolum ergo non est Deus.

Vel per contrapositionem: vt,

Deus est mundi conditor.
Idolum non est mundi conditor.
Idolum ergo non est Deus.

In his duobus Syllogismis, etiam Argumentum sequitur, in vtraq; antecedentis. Ac posterior forma magis vsitata est. Atque hæc κρύψις secunda figura Aristotelis est, quæ negatiuè tantùm concludere dicitur. Veruntamen in reciprocis etiam affirmatiuè concludit: extra autem reciproca, negatiuè tantũ.

Cùm Assumptio conuertitur argumẽtum in vtraq; antecedentis præcedit. Affirmata ergo conuertitur per accidens: vt,

Mundi conditor Deus est.
Mundi conditor est Christus.
Christus ergo Deus est.

Negans simpliciter conuertitur: vt,

Mundi conditor est Deus.
Mundi conditor non est Idolum.
Idolum ergo non est Deus.

Atq; hæc κρύψις conuersionis Aristoteli tertia figura est: quæ extra reciprocationem propositionis, specialiter tantùm et particulariter concludit. Quare nec illa nec hæc, omnis thematis concludendi forma est, sed illa quæstionis & thematis negantis tantùm, hæc particularis. Ac posterior κρύψις ex assum-

ptionis

ptionis conuersione in vsu aut rara aut nulla est. Nam Enunciatum seu Thema speciale solo inductionis Argumẽto & exemplo speciali sine Syllogismo doceri solet: vt,

Quidam diuites Deo placẽt, vt Abrahã, Dauid, &c.

TRANSPOSITIO.

T*RANSPOSITIO est, cùm pars prior Thematis ex assumptione in propositionem transfertur, & cum Argumento coniungitur: ac proinde & in assumptione & complexione idem ferè repetitur. Quare Cicero repetitionis vitandæ caussa, pro assumptione & complexione, breuioribus formulis hîc vti solet:* vt,

Hoc primum prius, antecedens est, aut verum est:
Hoc ergo vel secundum vel posterius, vel consequens est, aut verum est.

Hæc autem transpositio fit tantùm in Syllogismo, qui vulgò Hypotheticus seu connexus aut compositus dicitur. Vnde & duplex esse potest, nempe syllogismi connexi & disiuncti. Connexi in quo propositio per cõiunctionem Si, et synonyma quædam connectitur affirmatè: vt,

Si Christus mundum condidit, Deus est.
At Christus mundum condidit.
Christus ergo Deus est.

Hîc Christus prior pars Thematis et complexionis, ex assumptione in propositionem translata est, et cum Argumento, nempe, mundum condidit, coniuncta: vnde et ter ponitur. Negatiuè hoc modo:

Si Idolum Deus est, adorandum est.
At Idolum adorandum non est.
Idolum igitur Deus non est.

Hîc rursum Idolum, prior pars quæstionis et complexionis ter ponitur.

Sed hîc interdum et alia Trãspositio fit. Nam prior thematis

pars in propositionē assumpta, non solùm cum Argumento iungitur: sed etiam interdum cum posteriori Thematis parte. Atq; ita totum Thema in propositione cum Argumento præcedente collocatur: vnde & argumentū solū in assūptione repetitur: vt,

Si Christ⁹ resurrexit, nos etiā resurgemus, 1. Cor. 15.
At Christus. Ergo nos.

Hîc prior pars quæstionis nos, *cū posteriori*, resurgemus, *in propositione coniungitur: atque ita totum Thema cum Argumēto præcedente* Christus resurrexit, *collocatur. Vnde & Argumētum solùm* Christus resurrexit *in assumptione repetitur. Sed & hæc forma ad priorem reuocari potest hoc modo:*

Si Christus resurrexit, nos etiam resuscitabit.
At Christus resurrexit.
Christus igitur nos resuscitabit.

Disiuncti est, in quo Propositio per coniunctionem Disiunctiuam, aut, item, non, &, & synonyma connectitur. Estq; semper Propositio ex Dissentaneis & Negatiuæ vniuersali ἰσοδύναμος, ac proinde reciprocè & vtriusque concludens.

Affirmatiuè: vt,

Christus aut Deus est, aut creatura est:
Christus autem creatura non est:
Christus ergo Deus est.

Negatiuè:

Idolum aut Deus est, aut creatura est:
At idolum creatura est.
Idolum ergo Deus non est.

Sic de actione affirmatiué. Homini aut pereundum, aut resipiscendum est. At homini non pereundum. Homini igitur resipiscendū est. In his omnibus prior pars Thematis repetitur.

Verùm hæc Κρύψις *& Transpositio in Syllogismo Hypothetico ad legitimam Syllogismi dispositionem & Syllogismum Categoricum reuocari potest: Si prior Thematis pars ex Propo-*

ſitione eximatur, & eius loco Propoſitioni nomen aliquod generale præponatur: ſub quo generali, ſubſumptio fieri poſſit: cuiuſmodi ſunt infinita illa genera omnia vel propinqua vel remota, vt res vel homo, & infinita illa ad hanc rem commodiſſima: Qui, quicunque, quiſquis, qui homo, quæ res, &c.

In connexo affirmato: vt,

Quicunque mundum condidit, Deus eſt.
Chriſtus autem mundum condidit.
Chriſtus ergo Deus eſt.

In connexo negato hoc modo:

Quod non eſt adorandum, non eſt Deus.
Idolum non eſt adorandum.
Idolum ergo non eſt Deus.

Et in altera Tranſpoſitione.

Qui reſuſcitatorem viuum habent, illi reſurgent.
Nos reſuſcitatorem Chriſtum viuētem habemus.
Nos ergo reſurgemus.

In diſiuncto itidem. Si propoſitio diſiunctiua inſuper in negatiuam mutetur. In Affirmato: vt,

Qui creatura non eſt, Deus eſt.
Chriſtus creatura non eſt.
Chriſtus ergo Deus.

In Negato: vt,

Quæ res creatura eſt, ea Deus non eſt.
Idolum creatura eſt.
Idolum ergo Deus non eſt.

Poſtremus Syllogiſmus etiam hoc modo reduci poteſt:

Cui aut pereundum aut reſipiſcēdum, ei potiùs reſipiſcendum eſt.
Omni homini vel Petro, vel Magdalenæ, vel Dauidi, aut pereundum, aut reſipiſcendum eſt:
Omni igitur homini, vel Dauidi, *&c.* reſipiſcēdū eſt.

Atque hanc reductionem Syllogismi Hypothetici ad categoricum & Transpositionis terminorũ, ad primam dispositionem ostẽdit Cicero etiã in Topicis, Numero 225. vel pag. 697. in Argentinensibus exemplaribus, vbi de Cõsequentibus agit. Ibi enim ostendit hunc Syllogismum:

Cui omne argentum legatum eſt, ei & pecunia ſignata & numerata legata eſt.

Mulieri omne argentum legatum eſt.

Mulieri ergo pecunia ſignata & numerata legata eſt.

Hunc inquam Syllogismum etiam connexis & disiunctis, vt vocant, Syllogismis concludi posse docet.

Omnis ergo Argumentandi varietas ad Syllogismũ primæ figuræ facilè & commodè hoc modo reuocari potest. Quare hæ varietates non esse species, ab illo Syllogismo distinctæ videtur: sed potiùs eiusdem crypses & immutationes. Neq; enim species natura distinctæ sunt, quarum vna in aliam mutari potest. In his autem omnibus & primo Syllogismo & crypsibus vnum & idem Thema, vt nunc vidimus, concludi potest. Et si pro singulis crypsis speciebus, singulæ Syllogismi species essent faciendæ, fierent innumerabiles, quod Stoicis contigisse eodem loco ait Cicero. Hæ enim tres crypses Ellipsis, Pleonasmus & Enallage simplices tantùm crypsès sunt: quæ si inter se permisceantur, infinitæ erunt.

Neque verò difficile erit, qualiscunque crypsis oblata fuerit, eam ad Syllogismum legitimum reuocare, si quis primum Thema consideret: Deinde argumentum cum Thematis partibus disponat. Atque hæc de Syllogismo.

DE PARALOGISMO SEV SOPHISMATE ET VITIO Syllogiſmi.

Etsi vitia artis in arte non sunt tradenda, vt in Enunciato

ciato dictum est: tamen quia contraria iuxta se posita magis illucescunt, vitia etiam argumenti ea collationis caussa, interdum etiam obiter quasi veris praeceptis addi possunt. Quare hîc etiam de Syllogismi vitijs quibusdam monebo, vnde nascitur παραλογισμὸς *seu vitiosus Syllogismus. Sophisma ergo seu vitium Syllogismi duplex est: Cōmune & Proprium. Commune est, quod etiam argumento & enunciato competit, & vulgò vitium in materia dicitur. Estq; duplex, Ambiguum aut Falsum. Ambiguum est cùm idem terminus aliter atq; aliter accipitur. Atq; hoc vitium ex cognitione sermonis dijudicatur, & termini ambigui explicatione discutitur: seu distinctione ambiguitatis & variæ significationis.*

Ambiguitas est vel in argumento, vel in termino quæstionis: id est, conclusionis. Argumenti ambiguitas vsitatior est: vt,

Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, 1. Cor. 15. ver. 50.

Omnis homo est caro & sanguis.

Nullus ergo homo regnum Dei possidebit.

Resp. *Est ambiguitas in argumento. Caro enim & sanguis in propositione & verbis Pauli Metonymicôs accipitur pro corporum natura infirma, & corruptioni obnoxia: id est, non pro ipso corpore humano, sed pro corporis adiuncto. In assumptione autem de ipso corpore humano Synecdochicôs accipitur.*

In fallacia Compositionis & Diuisionis etiam Argumētum ambiguum est, vt in illo vulgari exemplo:

Duo & tria sunt paria & imparia.

Quinq; sunt duo & tria.

Quinq; ergo sunt paria & imparia.

Resp. *Duo & tria diuersimodè accipiuntur. In propositione diuisa & distincta: In assumptione autem coniuncta.*

Terminus quæstionis ambiguus est: vt,

Omnis caro fœnum est, Esaiæ 4. ver. 5.

Omnis homo eſt caro.

Omnis ergo homo fœnum eſt.

Reſp. *Terminus fœnum in Antecedente Metaphoricè accipitur, pro fœno ſimilis: in conſequente autem & complexione ſine Tropo. Nam ſi vtrobiq; eodem modo & Metaphoricè accipiatur, nullum vitium eſt.*

Falſum eſt, cùm Antecedentis Enunciatio altera vel vtraq; falſa eſt. Quod in Theologia ſine ſolida doctrinæ cœleſtis cognitione intelligi & dijudicari non poteſt. Hoc autem vitium Syllogiſmo cum Enunciato commune eſt, & ex Enunciato oritur, & nomine falſitatis reijciendum & reprehendendum eſt atq; negandum. Propoſitio falſa eſt, vt in argumento Sabellij:

Quæcunq; vnum ſunt, diſtingui nequeunt.

Pater & Filius vnum ſunt, Ioh. 10. verſ. 30.

Pater & Filius ergo diſtingui nequeunt.

Aſſumptio falſa eſt, vt in illo Martionis:

Quod à malo eſt, malum eſt.

Vetus Teſtamentum à malo eſt.

Vetus ergo Teſtamentum malum eſt.

Proprium Syllogiſmi vitium eſt, quod in Syllogiſmi definitionem peccat: id eſt, cum vitio formæ & diſpoſitionis falſum concluditur: & ἀσυλλογισία dici poteſt: vulgò mala & vitioſa conſequentia, & vitium in forma Syllogiſmi dicitur. Et eiuſdem vitij nomine reprehenditur.

Eſtq; vel in Antecedente vel in Conſequente. In Antecedente eſt. Primùm, cùm ex vtraq; antecedentis negatiua concluditur, quod aliàs dicitur: ex puris negatiuis concludere: vt,

Nullus lapis eſt baptizandus.

Nullus infans eſt lapis.

Nullus ergo infans eſt baptizandus.

Excipe hîc. Primò, cùm Propoſitio duplicem negationem continet, de quo ſuprà diximus. Vel aſſumptione tãtùm negata: vt.

Omnis

Omnis homo est animal.
Nullus equus est homo.
Nullus ergo equus est animal.

Secundò, cum vtraq; antecedentis particularis est: vt,

Aulici sunt diuites.
Ego ero aulicus.
Ego ergo ero diues.

Vel cùm Propositio particularis est: vt,

Quidam diuites saluantur.
Hi omnes sunt diuites.
Hi ergo omnes saluantur.

Tertiò: Cùm Argumentum non rectè repetitur, quod fit. Primò, cùm diuersum prorsus in assumptione est: vt,

Magistratus gladio punit peccata.
Petrus est Apostolus.
Petrus ergo gladio peccata punire debet.

Deinde cùm aliqua pars Argumēti in assūptione omittitur: vt,

Omnes sapientes Græciæ sunt septem.
Solon & Periander sunt sapientes Græciæ.
Solon ergo & Periander sunt septem.

Resp. *Hîc vocem* omnes, *partem Argumenti in assumptione omissam esse, quæ si addatur assumptio falsa fit.*

Tertiò, cùm aliquid superfluum Argumento additur in assumptione: vt,

Quicquid est in domo mea, hoc est in oppido.
Vnicus fons est in domo mea.
Vnicus ergo fons est in oppido.

Resp. *Vocem* vnicus *in assumptione perperàm Argumento addi, & sub voce quicquid subsummi.*

Quartò, cùm sub parte tātùm Argumenti subsumptio fit: vt,

Qui dicit te esse animal, verum dicit.
Qui dicit te esse asinum, dicit te esse animal.

Qui

Qui ergo dicit te esse asinum verum dicit.

Resp. *Subsumptio fit sub parte Argumenti, nempe animali, non sub toto: seu totum Argumentū non repetitur. Vera enim Subsumptio & Argumenti repetitio hæc esset:*

Hic vel ille dicit te esse animal.
Hic ergo vel ille verum dicit. *Sic:*
Qui dicit te hominem esse, verum dicit.
Qui dicit te hæreticum esse, dicit te hominem esse.
Qui ergo dicit te hæreticum esse, verum dicit.

Resp. *Argumentum non totum repeti, sed sub parte tantū Argumenti subsumi, nempe sub homine. Recta enim & plena Subsumptio esset.*

Hic vel ille dicit te hominem esse.
Hic ergo verum dicit.

Atq; hîc interdum etiam ambiguitas accedit: vt,

Qui solùm videt, non audit.
Qui terram videt, solùm videt.
Qui ergo terram videt, non audit.

Resp. *Subsumptio facta est sub parte Argumenti, nempe solùm. Idq; ambiguè.* Solùm *enim in Propositione Aduerbiū est, tātùm significans: In assumptione autē terram significat. Recta & plena Subsumptio hæc esset:*

Hic vel ille solùm videt.
Hic ergo non audit.

Tale esset illud, sine ambiguitate tamen:

In omni contradictione altera pars falsa est.
Quod fides iustificat, altera pars cōtradictionis est.
Quod ergo fides iustificet, falsum est.

Resp. *Subsumptio facta est sub parte tātùm Argumenti, nēpe pars altera. Vera autē assumptio esset: Fides iustificat, & Fides non iustificat, Cōtradictio est. Hic ergo pars altera falsa est.*

In consequente ἀσυλλογιςία *est. Primùm, si pars Argumenti complexioni miscetur:* vt.

Affectus per se boni contaminantur infirmitate humana.

Στοργαὶ sunt affectus per se boni.

Στοργαὶ ergo per se contaminantur.

Hîc pars Argumenti per se, complexioni miscetur. Vera complexio esset: στοργαὶ ergo contaminantur infirmitate humana.

Secundò, Cùm aliquid complexioni additur, quod in antecedente non fuit: vt,

Qui Fide iustus est, opere iustus est.

Homines Fide iusti sunt.

Homines ergo propter opera iusti sunt.

Hîc particula propter, *inserta est, et casus etiã mutatus.* Itẽ:

Qui peccare non desinunt, perituri sunt.

Hic peccare non desinit.

Hic ergo paulò pòst morietur.

Hîc, paulò pòst, *insertũ est, quod in Antecedente non fuit. Atq; hactenus* παραλογισμὸς *fuit, eiusq; solutio. Et hæc solutio Paralogismi realis dicitur. Alia est solutio quæ personalis dicitur, seu solutio ad hominẽ. Ea fit, cùm vel Argumenta proposita eleuantur, contemnuntur & irridentur, vt responsione indigna: vel etiã dissimulantur & aduersarius ab Argumento proposito longis Digressionibus & Declamationibus abducitur. Deindè cùm persona ipsa reprehenditur, vt quæ digna non sit, quæ talia proponat: vel cui respondeatur. Atq; hîc solutio ferè per conuitia fieri solet. Vide Rodolphum lib. 2. cap. 21. Sed hæc solutio Argumenti solutio non est, sed elusio tantùm, bonis indigna: nisi fortè quibus cum præfractis sophistis & nimis molestis rixatoribus est negotium.*

DE METHODO.

D E *Syllogismo dictum est: sequitur Methodus. Vox autem Methodi* ὁμώνυμος καὶ πολύσημός ἐστι, *aliàs enim generaliter et latè pro doctrina, scientia & arte quauis: & doctrina & artis*

parte vsurpatur. Sic Plato in Phædro, & 7. de Republica, ea voce vsus est. Sic Aristoteles Analyticorum priorum, lib. 2. ca. 15. Et Ethicorum 1. cap. 1. Et Physicorum 1. cap. 1. & alibi vtitur. Deinde specialiter pro Dialectica tota, & eius partibus omnibus, accipitur. Sic Platoni etiam 7. de Republica Methodus διαλεκτικὴ dicitur. Atq; hoc sensu hac voce vtuntur nonnulli, qui multas & particulares Methodos faciunt. In quibus præcepta Dialecticæ inuentionis & Dispositionis ferè repetuntur. Atqui ita Definitio & Diuisio Methodi dicuntur. Et Methodus definitiua & diuisiua dicitur. Postremò, specialissimè pro postrema Dialectices parte accipitur, de qua nunc dicendum est.

METHODVS ergo est dispositio cōiuncta, qua plura Enūciata ad idem thema pertinentia disponuntur, à generalibus ad specialia progrediens, & membra præcipua aptis transitionibus connectens. Plato ἀναγκὴν λογογραφικὴν: id est, necessitatem scriptoriam & vinculum artis atq; doctrinæ, & ipsum τὸ ὅλον in Phædro appellat. Aliàs Oeconomia dicitur. Cicero, viam & rationem & artem etiam vocat lib. 1. de Oratore. Fabius breue compendium vocat.

Methodus ergo similis est ciuitatis in regiones, vicos, & domicilia distributioni. Quæ, vt Platoni placet, sacerdotibus ad templa: iudicibus ad fora: militibus ad muros: mercatoribus & opificibus, in reliquis vrbis regionibus, loca & domicilia, tribuuntur. De hac Plato in Phædro ait: Etiam atq; etiam circumspiciendum esse, quæ via breuissima sit: ne longiorem ingrediamur, cum breui & plana incedere liceat.

DEFINITIONIS ANALYSIS SEV EXPLICATIO.

Genus in definitione est Dispositio coniuncta: id enim Syllogismo & Methodo commune est. In Syllogismo enim duplex Dispositio est, vna argumenti cū partibus quæstionis: altera enū-

ciatorum

ciatorũ trium, quæ ex illa Dispositione nascũtur, nempe Propositionis, Assumptionis & Complexionis.

Differentia materiam & formam complectitur. Materia est in Enunciatis eorumq; natura, ac primùm in numero. Enunciata enim Methodo disponenda plura esse debent: Quorum numerus vel ex re ipsa, eiusq; explicatione sufficienti pendet: vel ex docentis arbitrio pro loco, tempore, auditorum captu & vsu, ex generali vtilitatis lege constituitur.

Deinde in genere Enunciatorum. Debent autem Enunciata diuersa quidem esse: sed omnia tamẽ ad idem thema seu genus pertinere, vt inter ea quædam sit quasi affinitas & cognatio. Quod Aristoteli καθ' αὐτό, per se, & Homogenea dicitur. In Heterogeneis autem alienis prorsus inter se Enunciatis, ordo vel nullus, vel arbitrij potiùs, quàm artis est.

Forma Methodi est, à generalibus ad specialia progressio. Hic aũt generale et speciale latiùs quàm antè patêre sciendũ est. Hic enim generale est, quod pluribus inest: seu quod pluribus cõmune est: seu quod vt vnum multis cõmune sumitur: & per se sine alio intelligi & explicari potest. Speciale contrà est. Vniuersale, generale, cõmune, pro eodem sunt hic: itidẽ & particulare, speciale, singulare, propriũ, &c. Sic Aristoteles vniuersale definit, et de vniuersali loquitur, de partib. animal. li. 1. ca. 4. Vniuersalia, inquit, sunt cõmunia. Quæ enim in pluribus insunt: ea vniuersalia appellamus. Et Metaphys. 4. cap. 3. per trãslationem, inquit, elementũ dicitur quicquid vnum paruum, et ad multa vtile est. Vnde et ea, quæ maximè vniuersalia sunt, et latissimè patent, elemẽta sunt: propterea quod vnũquodq; eorũ, vnũ cùm sit, et simplex, in multis reperitur, aut omnibus, aut quàm plurimis. Et Physic. lib. 3. cap. 1. de loco et tẽpore primũ dicendũ est: quòd hæc omnibus communia sint, et omnibus vniuersalia.

Sic & Galenus de Constitutione artis medicæ: Communissimus, inquit, & generalissimus artis scopus est, contrarietas, vt

ab Hyppocrate dictũ est, particulatim autem, particularia cõtraria, vt calido morbo, frigidũ remedium. Et lib. 2. de Methodo medendi duplicem, inquit, cognitionem habent etiam asini, communium specierũ alteram, priuatarum alteram. In summa, siue vnam speciem appellare commune illud velis, siue genus, siue communitatem si illius quam ipse nunc interpretor, notionem custodias: de nominibus cõtendas, rem tamen ipsam mutare non poteris.

Ex hac ergo vniuersalis definitione, non solùm totũ & summa partibus, & genus speciebus, & definitio diuisione: sed etiã pars speciebus, pars item partibus, & species speciebus generalior & vniuersalior est. Sic pars speciebus vniuersalis est, vt litera & syllaba omnibus vocis speciebus: illæ enim his omnibus insunt: Sic corpus & anima, & corporis partes omnes hominis speciebus vniuersales sunt: sic pars partibus, vt litera syllabæ, syllaba voci, sanguis carni, caro manui & pedi, &c.

De his Aristoteles Topicorum 6. cap. 2. ait: Prius & notius est, punctum: linea superficie: superficies solido: item vnitas numero, & litera, syllaba. Species etiam rudior & imperfectior, specie perfectiori vniuersalior est, quòd eius adiuncta & partes huic etiam insint. Sic arbor animali, bestia hominibus, vniuersalis est. Sed hîc interdum vniuersalis & specialis distinctio obscurior est, vbi ordo arbitrio docentis relinquitur.

Hinc ergo fit, quòd in artibus & doctrinis, in quibus Methodus accurata obseruatur. Primùm perpetuæ et iustæ quædam κατηγορίαι sint. Deinde duo quasi cõtrarij ordines concurrant & coniungantur, quorum ille Analysis seu Resolutio: hic σύνθεσις seu γένεσις: id est, Compositio, seu Generatio dici potest.

Primùm enim cùm totum in partes, & genus in species diuiditur, Analysis est, & quasi ἀνατομία quædam, & rei exædificatæ destructio ab vno et finito, ad plura & infinita progrediens, vt cùm Grammatica in Etymologiam et Syntaxin: vox in literam

teram et syllabam vt partes dividitur. Dialectica in Inventionem et Dispositionem. Deinde, in ipsa partium et specierum inter se dispositione et collocatione σύνθεσις καὶ γένεσις ἐςὶ, et quædam quasi domus destructæ partium, coagmentatio, à pluribus ad vnum, ab infinito ad finitum progrediens. Hic enim pars & species simplicior et rudior, & quæ alijs inest, primo loco collocatur: cui deinde specialior et magis composita opponitur, atque adiungitur, vt cùm primùm in Etymologia litera, tum syllaba, pòst vox, eiusq; species, postremò in Syntaxi oratio collocatur et explicatur. Atq; ita ædificium quasi quoddam ex partibus inter se coagmentatis, rursum exstruitur. Sic si dicam exempli caussa: Theologiæ duæ sunt partes: vna, Doctrina fidei: altera, Doctrina de fidei operibus: seu fides et opera fidei. Hic primùm resolutio seu diuisio est rei totius, nempe Theologiæ in partes, nempe doctrinam fidei, et doctrinam operum fidei. Deinde in ipsa partium duarum collocatione et dispositione inter sese contrarius ordo est, nempe σύνθεσις seu compositio: qua fides vt pars simplicior præponitur: opera fidei, vt pars composita, posteriori loco ponitur.

Quare quod de duabus Methodis generalibus diuersis & cōtrarijs, nempe analysi et synthesi aliàs dicitur, infirmum est: vtraq; enim in vna et eadem doctrina concurrunt: & vnam tantùm Methodum constituit. Vt enim cœli motus duobus contrarijs motibus constat: ita Methodus duabus contrarijs vijs. Qua in re quiddam planè diuinum est, vt non mirum sit Platonem in Phædro Methodum donum Deorum appellare. Multò etiam minus firmum est, quod de tribus Methodis dicitur. Diæresis enim seu Diuisio Argumentum tantùm est, vel ἀνάλυσις quædam Methodi origo, & pars tantúm.

Præterea ex hac vniuersalis definitione etiam id quod loco & tempore prius est, vniuersale esse videtur: quod autem posterius est speciale, vt in Historijs: prius enim posterioribus in-

eſt & commune eſt, & per ſe ſine illis intelligi poteſt: poſteriora contrá.

Ordinis huius adiunctum eſt, Trãſitio μετάϐασις. Quæ inter figuras Rhetoricas à Cicerone numeratur. Et ad Herennium definitur, vt ſit oratio, quæ & oſtendit breuiter quod dictũ ſit: et proponit breuiter quod cõſequatur. Quintilian. lib. 4. cap. 5. eam nomine Partitionis his verbis laudat: Reficit quoq; auditorem, ait: certo ſingularum partium fine, nõ aliter, quàm iter facientibus multum detrahunt fatigationis, notata in ſcriptis lapidibus ſpacia. Nam & exhauſti laboris noſſe menſuram voluptati eſt: & hortatur ad reliqua fortiùs exequenda, ſcire quantum ſuperſit. Nihil enim longum videri neceſſe eſt: in quo quid vltimum ſit, certum eſt. Ea autem tum adhibetur, cùm partes præcipuæ maiores & longiores connectendæ ſunt, vt exempli cauſſa. Hactenus de fide dictum eſt: nunc de charitate dicendum eſt. Item hactenus de Spiritu Sancto eiuſque natura dictum eſt: nunc de eius officijs & beneficijs dicendum eſt. Varias autem formulas Tranſitionis recitat Eraſmus lib. 1. cap. 53.

Ordinis ergo ratio in generalibus et ſpecialibus, vt apertiùs dicatur, hæc eſt: Vt omnis doctrina ſit quaſi corpus quoddam animalis vel hominis, ex varijs partibus & membris compoſitum & coagmentatum, vt ait Plato in Phædro: In hoc autem corpore primum, commune & generale aliquid, & ſumma quædam omnium aliorum eſſe debent, quòd ſit quaſi caput in corpore. Huic deinde capiti, ſubijcienda eſt diſtributio in partes & membra principalia, vel ſpecies quaſi in truncum & artus.

Atque hîc rurſum pars membrum & ſpecies generalior ſpeciali præponi debet. Tum quælibet pars & ſpecies eodem ordine, rurſum tractanda & explicanda eſt, quoad opus fuerit, et membra præcipua, Tranſitionibus colliganda ſunt.

Et vt hoc etiam specialiter dicatur, si Thema aliquod simplex ex argumentis tantùm docendum est, vt Deus, fides, iustitia: Hæc ratio Methodi postulat, vt omnia alia argumenta, ante Diuisionem colligantur et collocentur: cætera enim omnia ad diuisionem generalia sunt: Diuisio ad specialia descendit.

Atque hoc modo et hac Methodo omnis omninò ars, doctrina, oratio, poëma, epistola, historia, interpretatio institui & contexi potest, et ex parte solet, in Theologia, Iurisprudẽtia, Medicina, Philosophia tota & parte omni eius et artibus. Atque hactenus Definitio Methodi, eiusq; ἀνάλυσις fuit. De qua, iudiciũ et dictũ Platonis in Phædro dignũ obseruatione est: Methodũ, inquit, docere et explicare nõ est admodũ difficile: ad vsum autẽ transferre, longè omnium difficillimũ est. Atq; huc spectat illud etiã Diuisionis elogium, quod inibi à Socrate proponitur: Si quem, inquit, offendero, qui scitè et aptè vnũ et multa discernere potuerit, hunc à tergo vestigijs quasi Deum consector.

De Methodo autẽ plura ex professo tradit Plato in Philebo, in Phædro, in Sophista, in Ciuili et passim alibi: Aristoteles autẽ breuiùs indicat lib. 1. cap. 1. Metaphysic. 1. cap. 2. de partibus animalium lib. 1. cap. 1. et 2. Et Porphyrius in capite de specie. Galenus itẽ cũ alibi, tũ lib. 9. de placitis Hyppocratis et Platonis copiosè varijs nominib. ex Platone repetit: Itẽ ad Glauconẽ lib. 1. ca. 1. Et de curãdi ratione per sanguinis missionẽ ca. 3. Cicer. lib. 1. de Oratore, vbi de arte iuris agit. Rodolphus lib. 3. cap. 9. Viues de caussis corruptarũ artiũ lib. 1. Philippus in Prædicabilibus quæstione quarta: cur prædicabilia etiam vniuersalia appellantur? vbi ait: Naturalem ordinem esse, vt angustiora declarentur per communiora.

DE CRYPSI METHODI.

Vt Syllogismi: ita et Methodi crypsis quædã est, eaq; nõ minus quàm Methodꝰ, aut magis etiã apud Oratores et Poëtas præsertim vsitata. Quã Cic. de Oratore lib. 2. Ordinẽ prudẽtiæ vocat.

Eius

Eius partes tres sunt: Ellipsis, Pleonasmus, & Enallage.

ELLIPSIS *est, cùm aliquid desideratur, et Enũciata quadã ad Thema pertinẽtia in aliqua orationis parte omittuntur.*

PLEONASMVS *est, cùm aliquid redundat: sine quo Thema ipsum explicari posset. Quod & amplificatio dicitur. Estq; duplex, Tautologia, & Heterogenea.*

Tautologia *est, cùm eiusdem rei repetitiones, & in eadem recõmorationes verbis fiunt. Quod Epexergasian & Expolitionem vocant Rhetores. Atq; huc spectat vocum seu sententiarum synonyma & isodinamia seu æquipollentia.*

Heterogenea *est, cũ* παρεκβάσεις *seu digreßiones à re fiunt, & aliena à Themate seu Heterogenea aßumuntur. Aristoteles de poëtica* ἐπεισόδια*: id est, aduentitia appellat. Atque huc spectant Exordia & Epilogi Rhetorum, quorum illa ferè extra caussam aßumuntur: Hi rem ferè breuiter repetunt. Vide Aristotelem Rhetoricorum 3. cap. 16.*

ENALLAGE *est cùm rerũ & partium ordo inuertitur: & antecedentia nonnulla consequentibus postponuntur. Quod & Hysterologia dicitur.*

Huius autem crypsis vsus tum est: cùm non tantùm docere, sed etiam delectare & mouere opus est: & delectatione & motu aliquo maiore auditor in parte aliqua orationis detinendus & fallendus est. Ac proinde hac crypsi, Poëtæ præcipuè, et Oratores non solùm prophani: sed etiam sacri: id est, Prophetæ et Apostoli in suis carminibus et concionibus sæpè vtuntur. Quòd ipsis non solùm simpliciter docere: sed etiam persuadere et delectare et mouere: et homines segnes et stupidos ad fidem et pietatem amplectendam excitare propositum sit. Vnde plerumq; diuisiones nullas apertè proponunt aut promittunt.

VITIVM ET SOPHISMA METHODI.

Eadem autem crypsis in vitium et sophisma degenerat, culpa docentis vel dicẽtis duplici, nempe vel inscitia, vel malitia.

Inscitia,

Inſcitia, cũ vel intempeſtiua vel nimia eſt, vt cùm vel neceſſaria prorſus omittuntur: vel aliena & peregrina multa aſſuuntur: vel omnia promiſcuè ſine diſcrimine & modo amplificantur & exaggerantur. Vnde oratio ſimilis fit corpori hydropico, & aquæ intercute vndiq; turgenti. Vel poſtremò, cùm ordo vel nullus adhibetur, vel non rectè inſtituitur. Atq; hæc Methodi crypſis indocta, intelligentiæ plurimum officit.

MALITIA vitioſa fit crypſis: cùm ad auditorem fallendũ veritatem opprimendam, & mendacia defendenda callidè & inſidiosè adhibetur. Ita non rarò in diſputationibus etiam ſacris, qui falſæs opiniones & dogmata propugnant, ſæpè quæ neceſſaria ſunt & principalia, non attingunt: & pro ijs alienas & intẽpeſtiuas Declamationes inſtituũt, quibus auditor à cauſſa ipſa abducitur. Deniq; ordinem inuertunt et perturbant, vt in ipſa confuſionis caligine mendacium deliteſcat.

Verùm, ad rectè & accuratè de Themate & re propoſita iudicandum: & intelligenda ea, quæ dicta ſunt, Crypſis & prudẽtiæ & inſcitiæ, atq; malitiæ ad iuſtã Methodum reuocanda eſt: ijs quæ prætermiſſa ſunt addendis, ſuperfluis amputandis: & prauo ordine immutando.

EXEMPLVM METHODI EX EPISTOLA PAVLI AD ROMANOS.

S*CRIPTVRA*, vt dixi, Methodo quidem, ſed occulta magis, quàm aperta, & prudentię crypſi, vtitur. Res enim & partes diuerſas aptiſſimo ordine diſtinguit, & vnã poſt aliam collocat, & explicat, ſed tacitè: Diuiſiones partiũ apertas aut Diuiſionum & partitionum promiſſiones, non ferè adhibet: nec Tranſitionum vinculis vtitur. Huius ergo Methodi exempla paſſim in Pſalmis ſunt, Concionibus Prophetarum & Chriſti & Apoſtolorum epiſtolis: ſed præcipuè in epiſtola ad Romanos exemplum Methodi ſingulare eſt, & corp⁹ doctrinæ cœleſtis quod-

dam. Nos partes præcipuas tantùm, & partium Methodum, breuiter indicabimus.

Paulus igitur in Epiſtola ad Romanos, non quidem omnia dogmata & præcepta neceſſaria: ſed ea præcipuè tradit, quæ Romanorum fidei & moribus maximè neceſſaria erant.

Eius ergo Epiſtolę ſumma, duabus partibus principalibus comprehendi poteſt. Quarum prior eſt, doctrina, præcipua fidei Chriſtianæ: Altera doctrina vitæ Chriſtianæ. His autem duabus partibus aliæ adduntur minus principales, quaſi appendices: priori à fronte, poſteriori à tergo.

Ante priorem ergo partem Præfatio eſt. Quæ continet primùm inſcriptionem Epiſtolæ & ſalutationem Apoſtolicam: ab initio ad verſus 7. finem: Deinde Exordium, in quo eſt gratulatio de fide Romanorum, & ſignificatio ſtudij Paulini erga ipſos: à ſeptimo ad verſum 16. vel 18.

Prefationem ſequitur doctrina ipſa prioris partis: quę in duo membra rurſum diſtribui poteſt, vt prior ſit doctrina de Pœnitentia: altera de Eccleſia. Ac doctrina de pœnitentia denuò in tres partes diſtingui poteſt: Quarum prima ſit, cōcio & doctrina de peccato, qua omnes homines tum Græci, tum Iudæi peccati accuſantur. Vnde concluditur neminem coram Deo ſua, ſuorúmve operum dignitate iuſtum eſſe: à primi Capitis verſu 18. ad tertij Capitis verſum 21.

Secunda eſt doctrina & conſolatio, de gratia & miſericordia Dei, fide hominis & iuſtitia gratuita. Quod videlicet homines gratis propter Chriſtū, gratiā, veniam peccatorum, & iuſtitiam apud Deum conſequantur: ad finem Capitis quinti.

Tertia

Tertia pars est doctrina & concio generalis, de necessitate & caussis nouæ vitæ & obedientiæ erga Deum, ad finem capitis 8.

Altera prioris partis pars est, de Ecclesia ad quam Dei gratia spectat: deque populo Dei, eiusque ex Iudæis & Gentibus ad Societatem Euangelij vocatis, collectione & electione gratuita per & propter Christum: per tria capita ad finem Capitis vndecimi. Atque hæc prior pars Epistolæ principalis est.

Posterior est, doctrina de præceptis vitæ Christianę: in qua primùm, planè Methodicè generalia præcepta ponuntur: Deinde specialia, de ministerijs Ecclesiæ: de Charitatis officijs erga proximum: de obedientia erga Magistratum: de rebus Adiaphoris seu medijs: & de infirmis tolerandis, *&c.* ab initio Capitis 12. ad Capitis 15. versum 13. Hinc deinde quasi Epilogus additur, quo clauditur, constans precibus, commendationibus & salutationibus. Talis Methodus & summa est eius Epistolæ breuissimè indicata.

Atque hactenus post Argumenta de Argumentorum cũ Themate & inter sese Dispositione & Dispositionis iudicio, quæ hoc tempore in mentem venerunt: & studijs doctrinam cœlestem discentium profutura viderentur, dicta sunt.

Reliquum est, vt ea studiosi auditores repetant: & si vtilia esse, vsu deprehenderint: tum in publicis Prælectionibus rectè intelligendis, tum proprijs meditationibus doctrinæ cœlestis rectè instituendis, quotidie ad vsum transferant.

SECVNDI TOMI FINIS.

BASILEAE,

PER SEBASTIANVM HENRICPETRI.

Anno

cIↄ Iↄ LXXXIX.

Menſe Septembri.